MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concilii

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., Arp.o Colossen. — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S , Promotor. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C[i] — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N. 4. TEL. 63.931

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 16 - XII - 1957.

† Blasius Musto
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

S. S. Congregatio S. Oficii.

Decretum. Proscriptio Librorum (*Michaëlis de Unamuno*) (Adn. ***) Pag. 567

S. Congregatio Consistorialis.

Formula servanda de statu Vicariatus Castrensis conficienda (And. Pugliese, A.). . . . . » 571

JURISPRUDENTIA SACRAE ROMANAE ROTAE

S. Romana Rota.

Coram R. P. D. Petro Mattioli, ponente. (*super exclusione boni fidei*). Sententia diei 30 octob. 1953. . . . . » 593
Coram R. P. D. Petro Mattioli, ponente. (*de metu reverentiali*). Sententia 30 jan. 1956. . . . . » 607
Coram R. P. D. Dino Staffa, ponente. Florentina. Nullitatis matrimonii (*De causa contractus matrimonialis*). Sententia definitiva diei 7 dec. 1956). . . . . » 621
Coram R. P. D. Dino Staffa, ponente. Hierosolymitana. Nullitatis matrimonii. (*De validitate dispensationis ab impedimento consanguinitatis*). Sententia definitiva diei 22 februarii 1957. . . » 625

STUDIA ET CONSULTATIONES

Marcone, J. An matrimonium consummetur actione tantum hominis » 631
Bender, L. Parochi obligatio administrandi confirmationem. . » 657
Oesterle, G. De sociologia et cura animarum. . . . . » 668

JUS ECCLESIASTICUM

Rovera, V. Osservani sull'autonomia della Chiesa in materia sacramentaria e sulla legislazione ecclesiastica nei confronti del comunismo (nota a sentenza della Pretura di Castiglione del Pepoli, in data 3 nov. 1954). . . . . » 677

RECENSIONES

Discorsi e radiomessaggi di Sua Santità Pio XII. Diciottesimo anno di pontificato, 2 marzo 1956-1° marzo 1957 (SPIAZZI, R.). . » 691
G. MAY *Die Geistlische Gerichtsbarkeit des Erzbischofs von Mainz in Thüringen des späten Mittelaltes.* (OESTERLE, G.). . . . » 694
Antonio CARETTA. - I Missionari degli emigranti nella Costituzione Apostolica « Exul Familia ». (A. B.). . . . . » 697
A. GREGNANIN. - Il matrimonio della Repubblica Sociale Federativa Sovietica Russa nella filosofia e nel diritto. (R.). . . » 698

DOCUMENTA

Pii PP. ALLOCUTIONES. Summus Pontifex, coram praeclaris medicis, chirurgis atque studiosis, quaesitis respondit de catholica doctrina quoad anaesthesiam, a Societate Italica de anaesthesiologia propositis. . . . . » 703
— Iis qui interfuerunt Conventui XI plenario Coetus « Pax Romana », in Urbe coadunatis. . . . . » 718
— Iis qui interfuerunt Conventui XI Internationali e Coetu qui « Nouvelles Equipes Internationales » appellatur, Arretii habito. » 722
— Ad Moniales, ob Conventum nationalem Italicum e Moderatricibus atque Religiosis, nosocomiis addictis, Romae coadunatas. » 723

CHRONICA

Acta Pii PP. II. - Acta SS. Congregationum (OESTERLE G.). . » 728
Index Generalis Vol. LXXXII (1957). . . . . » 738
Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREG. S. OFFICII

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRORUM

Feria IV die 23 Ianuarii 1957

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis S. Officii E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendos mandarunt libros a Michaële de Unamuno conscriptos:

1. *Del sentimiento trágico de la vida;*
2. *La agonia del Cristianismo.*

Praeterea, E.mi ac Rev.mi Patres monendos esse censuerunt christifideles etiam in aliis libris eiusdem auctoris plura deprehendi contra fidem et mores.

Feria autem V, die 24 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XII, in Audientia E.mo ac Rev.mo D.no Card. Pro-Secretario S. Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 30 Ianuarii 1957.

Arcturus De Jorio, *Notarius*

(*A.A.S.*, vol. 49, pp. 77-78).

ADNOTATIONES

Dato a S. S. Officii Congregatione Decreto, (A.A.S., vol. XXXXIX n. 2), in Indicem Librorum Prohibitorum relata sunt duo opera Michaëlis de Unamuno quibus titulus: *Del sentimiento trágico de la vida* et *L'Agonia del cristianismo*, ac praeterea ab erroribus contra fidem et mores in pluribus eiusdem auctoris libris hic vel illic prolatis universi christifideles graviter praecaventur.

Porro ingenium ac doctrinam istius scriptoris liquido produnt, potius quam ceteri, libri nuper damnati: ille quidem, nempe *Dei sentimiento trágico de la vida* anno 1913 gallico sermone primum editus fuit; iste vero, nempe *l'Agonia del cristianismo*, anno 1924 in lucem prima vice prodiit gallice quidem conscriptus (versio Joannis Cassou), hispanice autem anno 1930.

Cum vero ad nostra usque tempora utriusque operis (idem dicas de ceteris scriptoris libris) plures sint publicatae editiones, et secus ac Sacra S. Officii Congregatio solet, nullius editionis hic habeatur peculiaris mentio, omnes versiones et editiones utriusque operis scias damnatas.

Non rari profecto ratione, neque cuncti auctoris libri catholicae doctrinae graviter adversantur, idque, ni fallimur, prae oculis habens Sacra Congregatio a verbis « Opera Omnia » — quibus de aliis scriptoribus item claris non semel usa est, — abstinuisse videtur. Attamen in multis eius operibus faciliter animadvertes procul auctorem a veritate aberrare, meritoque, proinde, argues addi Decreto peculiare Monitum quod, quamquam iuridice idem non valet ac damnatio per Indicem Librorum Prohibitorum facta quid Ecclesia sentiat, quid cum Ecclesia sit sentiendum, quid tamen vitandum praecipiatur, aperte edicitur.

Hac in re duo referri possent scripta quae per « Monitum » recenseri videntur: *Vida de Don Quijote y Sancho*, et *San Manuel Bueno, mártir* quorum dum alterum anno 1930 editum fuit, prius antiquius (1905) prodiit, et praecipuo potitur loco ad intelligendam doctrinam labentibus annis ab Unamuno prolatam. Agitur nempe de vexato, ut ita dicam, et cruciato opere, in quo angens et anxius auctor rationes velut in germine proponit quae in ceteris scriptis ac praesertim in nuper damnatis amplius fusiusque recoluntur. Scias, exempli gratia, nulla — de auctoris sententia, — teneri culpa, laudibus potius esse prosequendam puellam quandam, Maritornes nomine, turpia commercia cum masculis foventem miseratione quadam ac veluti animi liberalitate commotam.

Quoad cetera scripta, nonnulla tantum hic sufficiat memorasse: quinque libellos En torno al casticismo, Mi religion, et alia huiusmodi; Cartas contra esto y aquello ecc.

Graves quos auctor profitetur errores sat clare in libris patent: sine difficultate ergo licebit Sacrorum Antistitibus, viris peritis, animarumque rectoribus a venenatis pasquis dominicas oves praemunire. Si quis universas huius scriptoris sententias, si quis omnia doctrinae capita a catholico sensu aliena vellet in unum colligere et singulatim significare, Longius iniret iter.; brevissime ideo et quasi per compendium, recensere sufficiat errores qui in libris a Sancti Officii Congregatione nuper damnatis prorsus continentur.

Passim in priore (Del sentimiento trágico de la vida) habentur modi ac rationes pragmatismum, ad mentem philosophi James, redolentes et placita, insimul, *trepidi christianismi* per philosophum Kierkegaard inducti: sat, praeterea iam patet animi ille discruciatus quo constat urgeri scriptorem: neglecta, tandem, magis quam posthabita qualibet rationis vi, actio voluntatis, iuxta Kantianam doctrinam, omnino praevalere censetur: favet ergo « irrationabili » quo tradit fulciri fidem.

Praeceps in iram ac luctationem ingenium, anxius et ardens scriptoris istius animus luculentius patent in altero libro, « *L'agonia del Cristianesimo* ubi insuper analogiae possunt inveniri *cum angore* de quo est sermo in existentialismo. De « agonia » nempe, vel de anxia luctatione, ab omnibus fidelibus veluti hereditate accepta, agitur potissimum in hoc libro et iterato in ceteris: gravibus eisdemque magnis Hispaniae mysticis dum Unamuno accedere confidit, in modernismi doctrinas incidit incautus.

Recte igitur P. Klenh, S. J. in ephemeride *Stimen der Zeit* (genn. 1957, p. 319) de isto auctore loquens haec inter alia habet: « Plerisque hispanis quasi lapis offensionis censetur... Excitantur per eum et post longum saeculorum spatium submoventur ab imo ignei montes, flammas eructaturi... labores omnes ad claritatem et unitatem assequendas hactenus impensi, inanes videntur... Praecursor hic auctor evadit existentalismi. Michael de Unamuno Flaviobrigae in Hispania anno 1864 natus et Salmanticae anno 1937 mortuus, Doctoris munere in Salmanticensi Universitate plures per annos functus est. Quem, Primo De Rivera iubente, in exilium missum et post regem regno expoliatum anno 1930 in patriam revocatum, liberae Rei publicae Rectores Legatum honoris causa edixerunt. Idem extremis vitae temporibus Francisco Franco, Supremo constituto Hispaniae Moderatori favere non renuit.

Crebris editis scriptis, variis de rebus multifariam pertractavit: de humanis litteris, nempe, de hispanorum historia, de religione, de philosophia necnon de scientia reipublicae administrandae: quodcumque de disciplinis magis placuit, libavit: carmina quoque finxit. Et licet inquirendi studio urgeretur, imo in inquirendo iugiter perstaret, vitam vixit inquietam, neque, anxius cum esset, ad pacem et veritatis aequabilitate valuit pervenire.

Quamquam ergo de scriptore agebatur nominis famam consecuto, suimetipsius officii gravitate compulsa, moerenti animo, ut solet, Ecclesia Sancta in christifidelium utilitatem loquens damnavit. Iste et ille hispanus Episcopus, concreditas oves praecavere non omiserunt: potissime vero alta conclamavit voce Salmanticensis ecclesiae Pastor, ad Toletanam postea promotus metropolitanam et Romana Purpura decoratus.

Quibus igitur de causis in Indicem librorum prohibitorum huiusmodi scripta sint relata neminem effugit: quaeret tamen aliquis: cur post elapsum tot annorum spatium? Etsi apud omnes constet Catholicam Ecclesiam nihil aliud intendere ac promovere, quam animarum salutem et veritatis ac fidei incrementa, nobis non licet Supremae Auctoritatis investigare in peculiaribus mentem. Quaesitis tamen responsio procedit ex factis.

Reapse cum in scriptis faciliter pateret quos errores profiteretur auctor, Codicis Iuris Canonici normis plebs christiana adquiescebat, quin explicita requireretur prohibitio. Nostris vero hisce annis nova subeunte studiorum cupidine hispanus iste scriptor sive in patria sive in exteris regionibus iteratis laudibus fuit celebratus. Neque silentio praetereunda mentium, quae in praesens habetur, perturbatio, etiam inter catholicos interdum condolenda; hac nempe de re, liquido intelliges graviora impendere dominico gregi pericula ex doctrinis et ex scriptis quae aptissima videntur ad mentium perturbationem fovendam.

Colliges exinde provida ac paterna mente Apostolicam Sedem locutam, libros damnasse.

* * *

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

FORMULA SERVANDA

IN RELATIONE DE STASU VICARIATUS CASTRENSIS CONFICIENDA *

Per Instructionem « De Vicariis Castrensibus » *Sollemne semper*, ab hac Sacra Congregatione Consistoriali die 23 mensis Aprilis anno 1951 editam [1] art. IX statutum fuit ut: Vicarius Castrensis de actis et de statu Vicariatus Castrensis tertio quoque anno huic S. Congregationi Relationem exhiberet.

Quo vero expeditius Vicariis Castrensibus redderetur adimplendum mandatum, S. Congregationi Consistoriali curae fuit praesentem exarare formulam, quae, a Sanctissimo Domino Nostro Pio Divina Providentia PP. XII adprobata, ab omnibus Vicariis Castrensibus in Relationibus conficiendis adhibenda erit.

Triennia autem sunt fixa et communia atque computantur a die 2 Ianuarii 1952. Si annus pro exhibenda Relatione assignatus inciderit ex toto vel ex parte in primum annum ab inito munere, Vicarius Castrensis, pro ea vice, a conficienda et exhibenda Relatione abstinere potest.

Caput I

DE VICARIATU CASTRENSI

1. Quando erectus fuerit; qua lege regatur; quibusnam privilegiis praeditus sit.

2. Quaenam eius organica constitutio.

3. Quisnam, officio Vicarii Castrensis vacante, regimen Vicariatus Castrensis ex iure assumet.

---

* Relatio latino sermone conscribenda erit et ab ipso Vicario Castrensi subsignanda, adiectis die, mense et anno quibus data fuerit.

In primum cuiusque Vicarii Castrensis Relatione ad singulas questiones, quae infra ponuntur, accurate et plene responderi debet.

In Relationibus, quae primam sequentur, Vicarius Castrensis omittere poterit ea omnia quae immutata manserint.

[1] *A. A. S.*, XXXXIII, pag. 562 s.

4. Quot subditi militares numerentur mares; an et quot mulieres.

5. Quot subditi civiles.

6. Quot catholici in exercitu inveniantur.

7. Quibusnam in dicionibus versentur subditi.

8. An et quaenam Religiones mulierum addicantur exercitui.

9. Qua ratione militum cappellanis conferatur munus: utrum ratione territorii an ratione partium exercitus seu agminis.

10. Quisnam Coelicolum, quando et quibusnam Litteris Apostolicis, coelestis apud Deum Patronus Vicariatus Castrensis constitus fuerit.

11. An Vicarius Castrensis proprium confecerit Ordinem divini Officii recitandi Sacrique peragendi ad usum cappellanorum militum (Instructio: De Vicariis Castrensibus, VII)

12. Quodnam habeatur Tribunal designatum et approbatum pro causis subditorum Vicariatus Castrensis: (ibidem III).

13. An a Gubernio civili comprobetur Vicariatus Castrensis; qua lege.

14. An lex civilis a normis discrepet ab Apostolica Sede hac de re datis.

15. An haec discrepantia, si forte adsit, sacri ministerii exercitio quomodolibet obfuerit.

Caput II

DE CURIA CASTRENSI

16. Ubinam Curiae Castrensis sedes.

17. An aedes proprias habeat; ad quem spectet earum dominium.

18. Exhibeatur conspectus eorum qui opem praestant in Curia Castrensi.

19. An adsit coetus consultorum.

10. An Curia archivum habeat ad tramitem can. 375-377 C. I. C. erectum et custoditum, et cum documentis et libris de quibus in can. 470, § 3, et in Instructione, VI.

21. An secretum quoque habeatur archivum, vel saltem armarium obseratum, in quo scripturae secretae tute custodiantur.

22. Num Curia Castrensis bona habeat immobilia aut mobilia.

23. Quinam sint Curiae Castrensis proventus sive ex taxis sive ex aliis titulis.

Caput III

de vicario castrensi

24. Indicet Vicarius Castrensis nomen et cognomen suum, aetatem, originis locum, dioecesim cui sit adscriptus vel Institutum Religiosum ad quod forte pertineat, sacrae receptae ordinationis et, si sit Episcopus, consecrationis tempus.

25. Quando ad officium fuerit electus.

26. An alio munere fungatur.

27. Quo gradu militaris dignitatis sit insignitus.

28. Quinam locus residentiae (urbs, via et numerus civicus), et quibuscum convivat.

29. An stipendio a Gubernio civili muneretur honestae substentationi sufficienti.

30. Quibus facultatibus praeditus sit: conficiat elenchum omnium facultatum indicando S. Dicasterium elergiens, concessionis tempus et Rescripti numerum.

31. Quibus utatur mediis ad subditos in catholica Religione instruendos et quomodo caveat ut leges ecclesiasticae notae fiant et fideliter serventur.

32. An praeter loca et res, archiva et libros, personas quoque cappellanorum et clericorum militarium visitaverit ut cognoscat quae sit uniuscuiusque vitae ratio, quae sacramentalis confessionis frequentia, etc.

33. An Conferentiis Episcoporum forte interfuerit.

34. Quomodo se habeat: cum Ordinariis locorum, cum Superioribus Ordinum vel Congregationum Religiosarum, cum civilibus et militaribus Magistratibus.

35. An sacra iurisdictio semper sarta tectaque servari potuerit.

36. Num casus sibi reservaverit (can. 893 s).

37. Num et quas taxas imposuerit.

38. Num aere alieno gravetur.

39. An et quo fructu poenas irrogaverit in subditos. Casus graviores referat.

40. Significet Vicarius Castrensis caerimonias potiores, atque

peculiaria festa quae in triennio in bonum spirituale subditorum promoverit.

Caput IV

I - de militum cappellanis

41. Quot habeantur appellani maiores seu directores; quodnam horum nomen et munus; quo gradu militari in lege civili cohonestentur; in qua civitate habitualiter commorentur.

42. Quot sint pro copiarum varietate militum cappellani effectivi; quot auxiliares; quot e clero saeculari; quot e clero regulari; an necessitatibus par sit eorum numerus.

43. In quibusnam dicionibus et dioecesibus ministerium exerceant.

44. An habeant quo honeste vivant.

45. Quomodo ipsis senibus aut infirmis provideatur.

46. Quaenam eorum conditio in lege civili.

47. Quaenam conditiones requirantur ut quis in cappellanorum numerum coeptetur (aetas, studiorum curriculum, etc.).

48. An professionem fidei secundum formulam ab Apostolica Sede probatam una cum iuramento antimodernistico ante susceptum munus unusquisque cappellanus praestiterit (Decr. S. Congregationis S. Officii 22 Martii 1918) [2].

49. An militum cappellani Missam pro populo applicent (Instr., XI) [3].

50. Utrum in locis militaribus an domi suae habitualiter commorentur.

51. An Vicarius Castrensis aliquid hac in re deplorandum detegerit.

52. Quo fructu Vicarius Castrensis curaverit ut militum cappellani et adimplerent quae recensent:

can. 125, circa sacramentalem confessionem et pietatis exercitia;

---

[2] *A. A. S.*, X, pag. 136.

[3] « Cappellani militum sicut et Vicarius Castrensis minime tenentur obligatione applicandi Missam pro populo; si vero stipem vel notabile emolumentum ex officio percipiant, Vicarius Castrensis imponere eis valebit ut Sacrificium Missae applicent saltem diebus can. 306 C. I. C. statutis; quod et ipsi sit norma ».

can. 126, circa periodicum recessum et spiritualia exercitia; (ibidem XV);

can. 131 circa conferentias cleri; (ibidem XVII);

can. 133 circa cohabitationem cum mulieribus;

can. 135 circa recitationem Officii divini; an quibusdam privilegiis gaudeant vel indultis fruantur;

can. 136 circa habitus ecclesiastici et tonsurae delationem; (ibidem XIV);

can. 137 circa fideiussiones cavendas;

can. 138, 140, 142 circa abstinentiam ab omnibus quae statum ecclesiasticum dedecent, a theatris et spectaculis mundanis et a negotiorum saecularium gestione.

53. An praestent eam quam can. 127 praescribit oboedientiam et reverentiam erga Ordinarium et erga Apostolicam Sedem; et si sint qui graviter deficiant eos Vicarius Castrensis denunciet.

54. An adsint militum cappellani qui cum scandalo diaria et ephemerides vel libros legant quae dedecent; qui factionibus politicis indebite se immisceant. Quod in horum malorum remedium praestetur.

55. An et quo fructu aliquas ex canonicis poenis Vicarius Castrensis irrogaverit in militum cappellanos (can. 2298); casus graviores referat.

56. An militum cappellani satisfaciant quae praescribunt:

can. 463, § 4 circa gratuitum ministerium iis qui solvendo pares non sunt forte praestandum;

can. 467 circa sacramentorum administrationem et animarum salutis studium.

can. 468 circa curam infirmorum;

can. 469 circa vigilantiam ne errores contra fidem et vitia subrepant et circa opera caritatis, fidei et pietatis instituenda et fovenda. Quaenam et qua ratione apostolatus formae provehentur. Potiora hac in re describantur gesta;

can. 735 circa Sacra Olea a militum cappellanis loco decenti et tuto custodienda.

57. Circa SS. Eucharistiam: an militum cappellanis cura studiumque sit ut, iuxta can. 863, milites saepius et etiam cotidie pane Eucharistico reficiantur; ut iuxta can. 865 infirmi, dum plene sint compotes, sacrum Viaticum suscipiant.

58. Circa Extremam Unctionem: an cura sit ut hoc sacramentum ab infirmis recipiatur dum sui plene compotes sunt.

59. Circa catecheticam institutionem: quomodo impertiatur.

60. Circa Evangelii explanationem: an lex servetur can. 1344 statuta.

61. Circa sacras conciones: an sacrae conciones extraordinariae habeantur.

62. An militum cappellani aliquod offendiculum cum parochis habuerint in sacri ministerii exercitio; an cum militum ducibus.

63. Quomodo res composita fuerit.

64. Num etiam ex parte ministrorum acatholicorum cura spiritualis praestetur militibus; an aequo iure ac militum cappellani catholici.

II - DE MILITUM CAPPELLANIS RELIGIOSIS

65. An adsint militum cappellani religiosi; cuius sint Ordinis aut Congregationis Religiosae.

66. An serventur normae statutae in Instructione « De Cappellanis militum religiosis » a S. Congregatione de Religiosis edita die 2 Februarii 1955 [4]:

circa nominationem; (ibidem I, II, V, 2);

circa tempus muneris gerendi; (ibidem III);

circa destinationem; (ibidem V, 6, *a*, *b*, atque Instr. De Vicar. Castr., XIII);

circa menstruum secessum in Domum religiosam; circa exercitia spiritualia et circa ferias. (Instr. « De Capp. mil. relig. », V, 9 *c*. *b*. et *d*.).

67. An offendiculum cum Superioribus Religiosis forte habuerit Vicarius Castrensis.

Caput V

DE RELIGIOSIS MULIERIBUS

68. Quaenam earum munera et in quibus institutis, praeter nosocomia, operam praestent.

69. An serventur canonicae leges circa confessarios.

---

[4] *A. A. S.*, XXXXVII, pag. 93, s.

70. An habitatione seu domo fruantur convenienti atque Religionis statutis congruenti; an adamussim serventur normae pro clausura statutae.

71. An cautum sit a periculis quae in exercendo munere obire contingat et an aliquid deplorandum obvenerit.

Caput VI

de militibus

72. An adsint sacerdotes, clerici, sive in sacris sive non, et religiosi stipendia merentes. An sacerdotibus facultas detur Missam celebrandi.

73. Quinam eorum mores et fama.

74. An sacerdotes conferentiis adsint quae in loco commorationis a clero fiunt.

75. An aliquid acciderit deplorandum quod proprio sacerdotis Ordinario delatum fuerit.

76. Quibus curis coeteros clericos, sive saeculares sive regulares Vicarius Castrensis prosequatur.

77. An servetur praescriptum de litteris testimonialibus dandis (Instr. « De Vicar. Castr. » XVIII).

78. Dicatur quinam sint generatim militum catholicorum mores, quaenam vitae religiosae condiciones et quaenam agendi praxis.

79. An graves errores contra fidem inter milites serpant, vel aliqua superstitiosa aut a catholicis institutionibus aliena vigeat praxis.

80. Qua reverentia Summum Pontificem, Vicarium Castrensem et cappellanos militum prosequantur milites.

81. Quae sit observantia:

can. 1248 circa praeceptum audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus diebus festis;

can. 859 circa communionem paschalem; quot sunt qui, licet catholicam religionem profitentes, nihilominus eam negligant, facta proportione pro singulis centenis fidelium;

can. 863 circa frequentem Eucharistiae susceptionem;

can. 865 et 944 circa sanctum Viaticum et extremam unctionem: an sint, inter eos qui catholici censentur, qui haec sacra-

menta differant, negligant aut etiam recusent et dicatur eorum numerus, habita proportione pro centenis.

82. An pro militibus lusoriae seu recreationis aulae constitutae sint.

83. Quaenam beneficia moralia ibi militibus praestentur.

84. An cura sit ut ibidem omnia rite honesteque procedant.

85. An et quantum ephemerides vel diaria obscena, irreligiosa, materialismum vulgantia aut liberalismum inter milites diffundantur.

86. Quid fiat ad tantum malum coercendum et quo fructu.

87. An adsint mulieres stipendia actu merentes seu copiis addictae.

88. An suis in contuberniis seu castris commorentur et quaenam earum sint munera in exercitu; an aliquid indecorum exoriatur; an abusus irrepserint.

Caput VII

in regionibus ss. congregationibus pro ecclesia orientali et de propaganda fide obnoxiis

89. An rite servatae fuerint normae quas S. Congregatio pro Ecclesia Orientali et S. Congregatio de Propaganda Fide pro suo territorio forte tulerint circa celebrationem matrimonii et circa administrationem ceterorum Sacramentorum.

90. An difficultates obortae sint in exercendo ministerio castrensit et qua ratione compositae.

Caput VIII

de sacramentis

De Baptismo:

91. Quoties baptismus administratus fuerit: pueris, adultis, infidelibus, acatholicis;

92. An militum cappellani satisfaciant quae praescribunt:

can. 773 circa locum in quo administrandus est baptismus;

can. 766 de patrinis, et Decretum S. Congregationis S. Officii diei 1 Iulii 1949 [5];

---

[5] *A. A. S.*, XXXXI, pag. 334.

can. 470 et 777 circa libros baptizatorum (cfr. can. 2383);

can. 778 circa notitiam collati baptismi tradendam proprio, ratione domicilii, militis parocho [6].

93. An in administratione baptismi ex apostolico indulto lingua vernacula utantur.

De Confirmatione.

94. Quot fuerint a Vicario Castrensi subditi confirmati, pueri, adulti et quot a militum cappellanis ad normam Decreti S. Congregationis de disciplina Sacramentorum « Spiritus Sancti munera » diei 14 Septembris 1946 [7] et ubi viget ad normam Decreti S. Congregationis Consistorialis « Conspicua privilegia » diei 26 Martii 1949, n. 3 [8].

95. An servatae fuerint normae Instructionis S. Congregationis de disciplina Sacramentorum die festo Pentecostes anni 1934 editae [9] « Sacramenti Confirmationis ».

96. An abusus irrepserint.

97. An praescriptis obtemperatum fuerit:

can. 795 circa patrinos, et Decr. S. Congregationis S. Officii diei 1 Iulii 1949 [10];

can. 798 et 799 circa adnotationem sacramenti collati sive in libro peculiari sive in libro baptizatorum de quo in can. 470 § 2 et circa notitiam tradendam parocho proprio confirmati.

De Matrimonio

98. An semper servata fuerint praescripta can. 1019-1034 C. I. C. circa ea quae matrimonii celebrationi praemitti debeant et Instructionis S. Congregationis de disciplina Sacramentorum « Sa-

---

[6] Pervigilent vero ut baptismus fortassis extra paroeciam originis collatus, praeter quam in renatorum regesto paroeciae vel ecclesiae, baptismali fonte iure etiam cumulativo ad normam can. 774 § 1 praeditae, ubi quis reapse eum suscepit, scripto item consignetur libris paroeciae originis. Ad rem quam primum per parochum vel rectorem ecclesiae collati baptismi tradendus est ad rectorem paroeciae originis muncius scriptus, qui fideliter omnia et singula elementa complectatur quae ad baptismi actum rite conficiendum (can. 777) requiruntur.

(Instruciio S. Congregationis de disciplina Sacramentorum « Sacrosanctum » diei 29 Iunii 1941, *A. A. S.*, XXXVIII, pag. 297 s.).

[7] *A. A. S.*, XXXVIII, pag. 349, s.

[8] *A. A. S.*, XXXXI, pag. 189.

[9] *A. A. S.*, XXVII, pag. 11. s.

[10] *A. A. S.*, XXXXI, pag. 334.

crosanctum » die 29 Iunii 1941 editae « De normis a parocho servandis in peragendis canonicis investigationibus » [11].

99. Quomodo et ubi fiant matrimoniorum pubblicationes.

100. Quot matrimonia coram militum cappellanis celebrata fuerint; utrum in ecclesiis. in oratoriis an in castris seu contuberniis (can. 1109).

101. Quot matrimonia mixta celebrata; an clausulas can. 1061 servent coniuges.

102. An serventur praescripta can. 1103 circa descriptionem in libro matrimoniorum et adnotationem in libro baptizatorum, necnon circa notitiam transmittendam ad parochum baptismi sponsorum et, si casus ferat, ad officium Status Civilis ad normam Concordati in Natione vigentis.

103. Qui conflictus cuiusque naturae extiterint cum parochis loci.

104. Quaenam ad matrimonia celebranda dispensationes vi facultatum quinquennalium vel apostolici indulti concessae fuerint.

Caput IX

de libris paroecialibus

105. An militum cappellani libris qui vocantur paroeciales instructi sint, nempe: baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum; an librum etiam conficiant de statu animarum, fidelium scilicet qui praevidentur per plures annos iurisdictioni castrensi obnoxii.

106. An ad normam sacrorum canonum teneantur et describantur libri paroeciales.

107. Quo loco serventur.

108. An authentica eorum exemplaria ad Curiam Vicariatus Castrensis quotannis transmittantur.

109. Exhibeatur huic S. Congregationi Consistoriali, saltem semel, uniuscuiusque libri folium exemplar.

---

[11] *A. A. S.*, XXXIII, pag. 297.

Caput X

de aedibus sacris

110. An exstent ecclesiae vel sacella a Gubernio civili exstructa et militibus reservata intra vel extra militaria septa.

111. An cultui catholico exclusive reservata sint.

112. An militum cappellani quibusdam exclusive utantur ecclesiis ab Ordinariis locorum concessis an suas habeat Vicariatus Castrensis.

113. An in cultu divino, in sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum veneratione, necnon in sacris functionibus sive quoad ritus, sive quoad linguam et cantum leges canonicae ac liturgicae serventur.

114. An ecclesiae et sacella rite custodiantur ne furtis et profanationibus obnoxia fiant.

115. An SS.ma Eucharistia in illis sacellis asservetur.

116. An fidelibus pateant ad normam can. 1266.

117. Quomodo serventur can. 1268 circa decorem et ornamentum altaris in quo asservatur Eucharistia necnon can. 1269, § 4 circa custodiam clavis tabernaculi.

118. An tabernaculum constructum sit ad normam Instructionis S. Congregationis de disciplina Sacramentorum « De Sanctissima Eucharistia sedulo custodienda » in festo Ascensionis Domini anno 1938 datae [12].

119. Num adfuerint profanationes et processus institutus fuerit ad normam memoratae Instructionis.

120. An servetur praescriptum can. 1271 circa lumen coram Sanctissimo Sacramento.

121. An serventur normae S. Sedis de usu altaris portatilis: Instructiones S. Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 26 Martii 1929 [13], et diei 1 Octobris 1949, praesertim in celebratione Missae sub dio [14].

---

[12] *A. A. S.*, XXX, pag. 198.

[13] « Alia causa dispergendis Eucharisticis fragmentis, facile haberi potest cum... sub dio Missa celebratur, flantibus interdum ventis. Ad praecavendam fragmentorum dispersionem, curandum erit quod altare, ubi Missa erit litanda, tribus e lateribns tegatur; vel tentorium adsit super altare obductum et ad tria eius latera descendens in formam aediculae, quo ipsum altare a ventis protegatur, vel alia ratione id fiat, consentanea cum reverentia tanto mysterio debita ». (*A. A. S.*, XXI, pag. 636).

[14] « Locus in qui collocari debet altare portatile *congruus* et *decens* seu *op-*

Caput XI

de administratione bonorum temporalium

122. An militum cappellani servent taxam sinodalem dioecesis commorationis in exigenda stipe Missarum.

123. An militum cappellani servent praescripta:

can. 835 de non colligendis Missarum oneribus quibus ipsi satisfacere nequeant;

can. 843, 844 § 2 de libro tam personali quam ecclesiarum proprio pro Missis adnotandis.

124. An Vicariatus Castrensis facultate gaudeat iuxta leges civiles possidendi bona temporalia immobilia.

125. An bona possideat atque documenta et instrumenta quibus proprietatis iura nituntur rite custodiantur.

126. An inventaria immobilium et mobilium bonorum necnon sacrae suppellectilis ad usum militum cappellani traditae, confecta sint duplici exemplari, altero pro cappellano et altero pro Curia Castrensi iuxta can. 1522. Cfr. etiam can. 1296.

127. An Piae Fundationes acceptatae et constitutae fuerint et a quibus administrentur.

128. An qui bona fiduciaria ad Pias Causas acceperunt servent quae can. 1516 statuit, praesertim circa rationem Vicario Castrensi reddendam.

129. An collectae fiant inter milites; an liberae omnino sint et qua ratione administrentur et erogentur; an ratio reddatur Vicario Castrensi de earum administratione.

130. An serventur praescripta can. 1523 praesertim circa confectionem libri accepti et expensi.

---

portunus et *honestus* sit oportet, ne propter foeditatem et indecentiam gravis iniuria et irreverentia rependantur in divina Mysteria.

Locus congruus postulat securitatem et amplitudinem, ita ut tute et commode et sine ullo periculo profanationis et effusionis Ss. Specierum e calice Missa offerri possit; *locus decens* respicit qualitatem loci, scilicet requirit ut Missa non celebretur in cubiculis in quibus aliquis dormire solet, neve alio loco tanti Sacrificii dignitati incongruenti. *(A. A. S.*, XXXXI, pag. 503, n. 7).

VICARIUS CASTRENSIS, QUI PAGOS ET MILITUM FAMILIAS OBNOXIOS HABEAT, HIS QUAE SEQUUNTUR QUAESITIS RESPONDEAT:

Caput XII

131. Dicatur quinam sint generatim populi mores: quaenam vita christiana privata in familiis: an in externis pompis et solemnitatibus magis consistat, quam in vero pietatis spiritu.

Quid fiat ut christianae vitae professio, si paululum defecerit aut a recta via declinaverit, sensim reducatur.

132. Qua reverentia clericos, Episcopum et maxime Summum Pontificem, populus prosequatur.

133. Quae sit observantia:

can. 1248 circa praeceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus diebus festis;

can. 1252, 1254 circa abstinentiam et ieiunium;

can. 770 circa sollicitam baptismi collationem infantibus;

can. 859 circa communionem paschalem: quot sint ex viris et ex mulieribus qui, cum sint professione catholici, nihilominus eam negligant, facta proportione pro singulis centenis fidelium;

can. 863 circa frequentem communionem;

can. 865 et 944 circa sanctum Viaticum et extremam unctionem: an sint qui, catholicam religionem profitentes, haec sacramenta differant, negligant aut etiam recusent: et dicatur eorum numerus, habita proportione pro centenis;

can. 1203, 1239 seqq. circa cremationis reprobationem et funera: dicatur, servata proportione ut supra, quot ex iis qui catholici dicuntur, funeribus mere civilibus seu irreligiosis sepeliantur.

134. Circa *matrimonium:* an matrimonia mere civilia, concubinatus et divortia habeantur, et qua proportione;

an vitia contra sanctitatem matrimonii irrepserint;

quid fiat ut haec mala removeantur.

135. Ubi catholici cum acatholicis convivunt, et mixta matrimonia habentur, dicatur numerus horum matrimoniorum tum absolutus tum relativus ad matrimonia non mixta: quaenam exinde detrimenta religioni proveniant;

an serventur ab his contrahentibus clausulae can. 1061.

136. *De christiana educatione prolis:* quomodo generatim parentes et qui loco parentum sunt, in sinu familiae satisfaciant gra-

vissimae obligationi, de qua can. 1113 et 1372 agunt: et quae cura sit ne ab hoc officio fideles deficiant.

137. *De scholis:* an in publicis scholis, praesertim elementaribus, servetur praescriptum can. 1373 de institutione religiosa puerorum.

Et si non, quanam de causa; an cura sit fidelibus et Vicario Castrensi instituendi pro catholicis pueris scholas confessionales, eosque avertendi a scholis acatholicis, neutris, mixtis, iuxta can. 1374.

138. De conditione et statu scholarum confessionalium, praesertim elementarium, enucleate referatur: quomodo sustententur, a quot alumnis frequententur, qualique profectu. Et si scholae confessionales institui non potuerint, indicetur causa:

et dicatur, an per varia opera post-scholaria, hoc est oratoria festiva, Congregationes Marianas, scholas catechisticas, aliisve mediis cautum pro viribus sit praeservationi puerorum et puellarum.

139. De religiosis et piis laicorum *associationibus:* an adsint tertii Ordines saeculares et confraternitates, praesertim Ss.mi *Sacramenti* et *Christianae doctrinae*, aliaeque piae Uniones potissimum pro iuvenibus: quo numero et quo religionis profectu.

140. An hae associationes servent omnes praescripta:

can. 690 de subiectione erga Ordinarium;

can. 691 de administrationis modo.

141. An adsint inter catholicos associationes illae, quae *sociales* vocantur, agricolarum, operariorum, mulierum in hunc vel alium caritativum finem, vel mutuum subsidium; an asyla pro infantibus, patronatus pro iuvenibus, pro emigrantibus etc., associationes pro iuventute, laboratoria pro artificibus, vel pro puellis etc.: quaenam beneficia sive moralia sive temporalia praestent.

142. An cura sit ut qui hisce associationibus adscripti sunt, in fidei doctrina instituantur et christianam vitam ducant.

143. An et qua diffusione ephemerides vel diaria obscoena, irreligiosa, materialistica vel liberalia fideles pervadant:

an libri quoque huius generis diffusi sint:

quid fiat ad tantum malum coërcendum et quo fructu.

144. An massonicae sectae addicti, vel etiam massonicae tabernae habeantur; quanta et quali industria operam adversus religionem moliantur: quid fiat ad occurrendum huic malo.

145. An socialismi vel communismi societates habeantur: quot

numero, quanti momenti et quali religionis noxa: et quid fiat ad hanc avertendam.

146. An in exercitio iurium politicorum et civilium fideles catholici religionis bono et Ecclesiae libertati pro viribus consultant.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die XX mensis Octobris anni MCMLVI.

\+ Fr. A. I. Card. PIAZZA, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*

L. + S.

IOSEPHUS FERRETTO, *Adsessor*

(*A.A.S.*, vol. 49, pp. 150-163).

ADNOTATIONES

1. Ab antiquo Ecclesiae tempore pius usus invaluit, ut Episcopi romanum iter adgrederentur et sacra Apostolorum Limina devotionis causa visitarent. Sensim sine sensu usus in obligationem ex munere est. Visitatio quidem eo fine fieri debebat ut scil. Episcopi per orbem propriam Principibus Apostolorum exhiberent reverentiam, ad quorum sepulchra preces opportune funderent, atque Romano Pontifici, qua Christi Domini Vicario, signum tribuerent subiectionis et oboedientiae [1]. Veterem autem laudabilemque morem confirmans atque reordinans, Sixtus V a. 1585 [2] iisdem Episcopis, quavis dignitate, etiam Cardinalitia, fulgerent, obligationem imposuit ea quoque tempestate Romano Pontifici rationem reddendi de toto eorum pastorali officio, deque rebus omnibus, quae ad statum dioecesis, ad cleri et populi disciplinam pertinuissent [3]. Quodsi Episcopus legitimo impedimento detentus fuisset quominus personaliter Limina Apostolorum visitaret, per certum nuntium procuratoremve, Canonicum aut in dignitate ecclesiastica possibiliter constitutum, id facere debuisset [4].

2. Tempus visitationis et rationis redditionis diversum erat, pro maiore vel minore ab Urbem Episcoporum propinquitate, ita

---

[1] BENEDICTUS XVI, De Syn. Dioeces. XIII, 6, 12.

[2] Const. Ap. *Romanus Pontifex*, 20 dec. 1585.

[3] BENEDICTUS XIV, Const. Ap. *Quod sancta*, 23 nov. 1740.

[4] SIXTUS V, Const. cit.

tamen ut initium semper sumerent a die 20 dec. 1585. Ita Episcopi ex Italia atque insulis adiacentibus, ex Dalmatia insuper et ex Graecia, tertio quoque anno; ex coeteris Europae partibus, quarto quoque anno; ex longioribus regionibus Europae et Africae, quinto quoque anno; ex aliis orbis regionibus, decimo quoque anno [5] ad hanc obligationem adimplendam adstringebatur.

Tenebantur etiam Abbates et Praelati nullius [6] et Episcopi suburbani [7]. Immo Benedictus XIV specialem Congregationem constituerat pro excipiendis et examinandis relationibus Episcoporum, Abbatum, etc. super statibus eorumdem ecclesiarum [8].

3. Quantum scimus, S. C. de Propaganda Fide prima vice in Congregatione Generali diei 4 maii 1626 mandavit per Procuratorem Generalem Cappuccinorum Praefectis Missionum suorum religiosorum praecipi ut, singulis annis ad minus, de eorum gestis, et in conversione haereticorum vel infidelium progressibus relationem ad Urbem mitterent [9]. Quae obligatio pro Cappuccinis mox ad omnes Regulares, qui Missiones haberent, extensa est [10]; immo, ad omnes quoque Vicarios Apostolicos et Missionarios, qui singulis annis catalogum mittere debuissent conversorum, baptizatorum et Sacramentorum ab ipsis administratorum [11]. Deinde, Litt. Encycl. S. C. de Propaganda Fide, 17 iun. 1747, lex facta est universalis pro omnibus locorum Ordinariis ab eadem S. Congregatione dependentibus [12]. Tandem, Decreto 2 apr. 1759 S. C. de Propaganda Fide formularium praescripsit, iuxta quod relatio facienda erat. Sed mox, ad exemplum aliarum SS. Congregationum, relatio completa quolibet quinquennio imposita fuit, relatio vero summaria quolibet anno [13]. Formularium autem denuo perpolitum iterum editum fuit Litt. Circul. 24 apr. 1861 [14] atque iterum Litt. Encycl. 1 iun. 1877 [15].

4. Per longum tempus nulla fuit officialis formula seu elenchus quaestionum, quibus, ad uniformitatem et praecisionem dumtaxat,

---

[5] Ibid.
[6] De Syn. Dioeces., l. cit. n. 9.
[7] Clemens XII, Const. Ap. *Pastorale Officium*, 10 ian. 1731.
[8] Const. Ap. *Decet*, 23 nov. 1740.
[9] Collectanea de S. C. de Prop. Fide, I, n. 21, p. 9.
[10] S. C. De Prop. Fide, 12 ian. 1728; Collect., I, n. 310, p. 99.
[11] S. C. De Prop. Fide, 20 sept. 1741; Collect., I, n. 331, p. 113.
[12] S. C. De Prop. Fide, 17 iun. 1747; Collect., I, n. 362, p. 203.
[13] S. C. De Prop. Fide, 27 sept. 1843; Collect., I, n. 975, p. 534.
[14] Collect., I, n. 1215, p. 664-666.
[15] Collect., II, n. 1473, p. 109-112.

uti Ordinarii debebant pro territoriis iuris communis in relatione conficienda. Quae vero a Benedicto XIV concinnata fuerat quando ipse Secretarius erat S. Congregationis Concilii, etsi privata maneret, usu et opportunitate in Curia adhibita fuit usque ad reformationem pianam et a pluribus Dicasteriis imitata [16]; tantum enim a. 1918 S. C. Consistorialis propriam formulam Codici iuris canonici aptavit opportuneque accommodavit.

5. Quantum scimus, prima vice Ordinariis Castrensibus Instr. *Sollemne semper*, 23 apr. 1951 [17], imponitur obligatio de actis ac de statu Vicariatus, tertio quoque anno, S. Congregationi Consistoriali relationem exhibendi.

Revera, can. 340 § 1 omnibus locorum Ordinariis obligationem imponit scriptam quinquennalem relationem super statu dioecesis unicuique commissae Summo Pontifici faciendi secundum formulam ab Apostolica Sede datam. Formula vero officialis pro S. C. Consistoriali iam a. 1909 provulgata, ut dicebamus, a. 1918 Codici accommodata fuit. Post Codicem vero speciales formulas sibi condiderunt, pro rebus suae competentiae, et S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus [18], S. C. de Propaganda Fide [19], et S. C. de Religiosis [20].

Art. IX Instructionis *Sollemne semper* ait: « Vicarius Castrensis de actis ac statu Vicariatus, tertio quoque anno, huic S. Congregationi (Consistoriali scil.) relationem exhibere tenetur ».

Inde Instructio notabiliter a iure communi differt. Obligatio enim Vicarii Castrensis triennalis est, non quinquennalis, eiusque materia ampliori modo sed generaliori describitur: « de actis ac statu Vicariatus » [21] Triennia autem sunt *fixa*, sicut et quinquennia (can. 340 § 2), et *communia*, scil. neque criterio geographico sicuti relatio Ordinariorum locorum, neque criterio hierarchico sicuti relatio Statuum perfectionis, discriminantur: non enim congeries relationum timenda est, cum hodie adhuc pauci omnino sint Vicariatus Castrenses ad nova principia organizati [22]. Computantur vero triennia a die 2 ian. 1952, ut nempe nexus appareat praescriptionis ad Instructionem praedictam. Relatio e contra Ordinariorum locorum a die 1 ian. 1911 incipit (can. 340 § 2), et relatio Statuum perfectionis a die 1 ian. 1923.

---

[16] A. Pugliese. Adnotationes, in « Monitor Eccl. », 1950, p. 188-198.

[17] AAS., 1951, p. 562-565.

[18] Decr. *Quo uberiore*, 2 febr. 1924.

[19] Decr. 29 iun. 1937.

[20] Decr. *Cum, transactis*, 9 iul. 1947.

[21] A. Pugliese, Storia e Legislazione sulla cura pastorale alle Forze Armate, Ordinariato Militare, 1956, p. 137.

[22] Ibid., p. 170, nota 1.

Quodsi, ad exemplum praescripti can. 340 § 3 (qui tamen biennium ponit), annus pro exhibenda relatione adsignatus inciderit, ex toto vel ex parte, in primum annum ab initio muneris, Vicarius Castrensis, pro ea vice, a conficienda et exhibenda relatione abstinere potest. Ita v. gr. si Ordinarius Castrensis aliquis mense ianuario a. 1958 ad officium eligatur, primam relationem conficere tenetur a. 1961. Non enim censetur Vicariatum prius ita cognoscere, ut possit de eo tute et conscientiose referre. At verbum *potest* possibilitatis est, non coactionis. Ideo laudandus videretur Vicarius Castrensis qui nihilominus relationem suam ex iis quae in Curia Vicariatus Castrensis qui nihilominus relationem suam ex iis quae in Curia Vicariatus adservantur, conficit etiam in primo anno officii sui.

6. Insuper, dispositiones formales dantur de forma externa conficiendi relationem. Prima enim relatio debet esse completa, accurate responsiones praebendo omnibus 146 quaestionibus formularii; quae autem sequentur relationes poterunt omittere ea omnia quae immutata remanserint et tantum novitates et peculiaritates notare.

Lingua autem latina conscribenda est relatio, sive ut facilius in Curia examinari possit sive ad uniformitatem servandam, cum lingua latina officialis in Curia sit; praeterea, ab ipso Vicario Castrensi subsignanda erit, adiecto dato eiusdem compositionis. Clarum est formam huiusmodi externam ad sollemnitatem et ad uniformitatem praescribi, ad validitatem [23]. Forma vero interna ad validitatem praescribitur, quatenus obligatio non censetur adimpleta nisi ad mentem praescripti formularii relatio ipsa conficiatur et veraces responsiones praebeat.

Evidenter formularium huiusmodi non illud esse potest quod ad relationem quinquennalem faciendam Ordinariis locorum praescribitur, cum prae oculis in ipso haberi debeant et specialis personalis iurisdictio Vicarii Castrensis et peculiaris constitutio atque status iuridicus Vicariatus ipsius; insuper, acta quoque gubernii ipsius officii consideranda sunt.

Denique, cum Vicariatus Castrenses, non secus ac coeterae organizationes dioecesanae aut quasi-dioecesanae, territoriales aut per-

---

[23] Instr. *Sollemne semper* tacet omnino de obligatione Vicarii Castrensis canonice proprium Vicariatum visitandi, de visitatione ad Limina deque aliis id genus, quae Ordinarios locorum gravant. Porro, etiamsi respectus habeatur, prout decet, speciali Vicarii Castrensis conditioni, fere omnia iura et obligationes Ordinarii loci videntur etiam Vicarium Castrensem concernere, intra limites possibilitatis dumtaxat et convenientiae, vi illius genericae adsimilationis atque paritatis Vicarii Castrensis ad Ordinarium loci (cfr. A. Pugliese, Storia e Legislazione etc., p. 137).

sonales, in territorio iuris communis exsistentes, a S. C. Consistoriali dependeant, huic S. Congregationi relatio mittenda est.

7. Itaque, formularium nuper editum [24] elenchum 146 quaestionum continet, quae in 12 capita distributae sunt. Capita successive agunt de Vicariatu Castrensi, de Curia, de Ordinario seu Vicario Castrensi quocumque nomine appelletur in singulis Statibus, de Cappellanis sive saecularibus sive religiosis, de religiosis feminis servitio copiarum addictis, de militibus ipsis et de civilibus sive maribus sive feminis servitio copiarum pariter addictis. Ad haec adduntur quae administrationem Sacramentorum, praesertim baptismi, confirmationis et matrimonii, sive in territorio iuris communis sive in territorio iuris orientalis aut missionarii concernunt, quaeque ad confectionem et conservationem librorum paroecialium sese referunt, ad curam et manutentionem locorum sacrorum, ad administrationem bonorum temporalium.

Denique, cum quandoque in certo Vicariatu Castrensi stationes militum, ob peculiares Regionis geographicas atque ethnographicas conditiones, in dissitis locis ad instar pagorum efformatae sint, in quibus milites cum propriis familiis, quibus accedere possunt etiam alii civiles copiis non addicti, vivant, ubi domus quas milites habitent, scholae pro ipsorum pueris ac puellis et alia huiusmodi habeantur, cumque Ordinarius loci spirituali animarum curae per parochum aut missionarium aut quemlibet alium sacerdotem providere non possit et illuc sine gravi incommodo accedere nequeat, ex benigna Apostolica concessione, personalis iurisdictio Vicarii Castrensis et, respective, Cappellanorum, ad illa etiam loca extenditur, quae proprie personali Vicariatui non pertinerent [25]. Inde Caput XII formularii haec extraordinaria adiuncta rite considerat, non secus ac si Vicarius Castrensis Ordinarius proprius seu melius Apostolicus Administrator illorum esset locorum.

8. Speciatim, circa ipsum Vicariatum Castrensem relatio notitias historicas de constitutione, organizatione, functione, gubernio, tum ecclesiastice tum civiliter et militariter, saltem pro prima vice continere debet; coeteris vicibus sufficit ut novitates et noviter inducta aut abolita adnotentur.

Pariter, circa Curiam Castrensem, exprimat relatio sedem ipsius, eiusque organizationem personalem et realem.

De seipso autem et de singulis Cappellanis exponat Vicarius Castrensis in relatione conficienda sive notitias personarum (data,

---

[24] 20 oct. 1956.

[25] Cfr. ex. gr. S. C. Cons., Decr. *Materna Ecclesiae*, de erectione Vicariatus Castrensis in ditione canadensi, 17 febr. 1951 (cfr. A. Pugliese, Adnotationes, in « Monitor Eccl. », 1952, p. 193-196).

curricula vitae, facultates, vitae civilis et religiosae rationem) sive gubernium et relationes cum profanis potestatibus et cum aliis Episcopi Regionis aut Superioribus religiosis necnon et cum administris cultus alius confessionis si adsint, sive proventus seu stipendia quibus vivant et opera Vicariatus sustentent, sive officii pastoralis adimpletionem.

De militibus peculiariter relatio referre debet utrum adsint sacerdotes aut ad sacerdotium candidati inter eos et qua ratione isti se gerant. De coeteris militibus catholicis deque Sacramentorum administratione, cura pastoralis adhibenda est non dissimilis a cura quam exercent Ordinarius loci et parochus, prae oculis semper habita speciali militum conditione.

Cum tandem distinctio in Instr. *Sollemne semper* facta sit de locis sacris militaribus et non militaribus [26], etiam relatio hoc exprimat necesse eset sive ad distinctionem perspiciendam sive ad curam aedificiis sacris adhibendam et ad conservationem et cultum SS. Eucharistiae.

Circa administrationem bonorum temporalium relatio de stipe Missarum, de bonis temporalibus possidendis et administrandis, de eorum inventario faciendo, de piis fundationibus, de bonis fiduciariis et de collectis refedre debet.

Ita omnia quae ad bonum gubernium ecclesiasticum totius Vicariatus Castrensis in adiunctis sive ordinariis sive extraordinariis in illis 146 quaestionibus contenta sunt, ut undequaque plene S. C. Consistorialis de actis ac statu Vicariatus edoceatur et in casu intervenire possit.

Augustinus Pugliese
a studiis S. C. de Rel.

---

[26] Instr. *Sollemne semper*, art. II; videsis A. Pugliese, Storia e Legislazione, etc. p. 126-127.

JURISPRUDENTIA
SACRÆ ROMANÆ ROTÆ

SACRA ROMANA ROTA

I

Coram R. P. D. Petro Mattioli, *ponente*

Sententia diei 30 octob. 1953
(*super exclusione boni fidei*)

Species Facti. - Monica, puella e nobili aeque ac divite familia oriunda, eo ipso die quo annum aetatis suae vicesimum quartum explebat, Michaëli nupsit, qui, paris nobilitatis, sed opibus destitutus, tricesimum annum iam superaverat. Quod matrimonium, adimpletis, die 27 octobris 1937, apud municipium oppidi X. civilibus caeremoniis, die insequenti, apud eiusdem loci paroeciam, sollemniter initum fuit.

At celebrationem huiusmodi peculiares vicissitudines praecesserunt ac subsecutae sunt; etenim, pro Michaële, qui, etsi e familia comitali ortus ac recta institutione educatus, labori cuiquam fructuoso non erat deditus — ut multi dicunt — uxor dives anxie quaerebatur. Ideo, Monica parentibus viri, pecuniae inhiantibus, statim placuit. Juvenis, e contra, otiose vivens, manubriati reticuli ludos frequentans, alii puellae, Annae Mariae nomine, his ludis agendis vere insigni, occursaverat, eamque turpium amplexuum laqueis, brevi, ita sibi vinxerat, ut more paene concubinorum iam vitam ducerent. Laeto proinde animo oblatas sibi nuptias non aspexit; sed, earum convenientia motus, patri suggerenti atque instanti morem gerere se aptavit.

Cum celebratio immineret, multa, sive ab Anna Maria, sive ab huius consanguineis, gesta ac dicta fuerunt: donec Michaël, tandem, amiculae lacrimanti, ac « malade de chagrin », non promiserit se eam, etiam matrimonio inito, rursus revisurum.

Et iniquitatis vincula, numquam de facto intermissa, reapse, post sacramentalem celebrationem, in adulterium continuatum — ut pacificum est in actis — conversa sunt. Cum autem infelix Monica, re detecta, maritum presse invitavit ad pelicem absolute dimittendam, iste, insulsis verbis et actis, insontem mulierem adhuc decipere non est veritus, ore superabundanter promittens, re ad suum sensum et arbitrium agere pergendo: quoadusque ab uxore, et a patre istius, mense septembri 1938, i. e. anno a celebratione nondum completo, ejectus fuit.

Postea divortium a Tribunali laicali, die 25 apr. 1949, pronunciatum fuit.

Suscepta prole ab Anna Maria anno 1944 — ut perhibetur — Michaël, tandem, matrimonium cum illa, per civilem actum, attentavit, die 22 junii 1949.

Sed interim Monica, dato libello Curiae B., die 10 martii 1941, matrimonium nullitatis accusandum curaverat, ob exclusum a viro bonum fidei. Et in prima instantia feliciter decertavit, nam die 28 junii 1949 sententiam favorabilem habuit. Quam tamen infirmavit Tribunal appellationis, die 19 maii 1951.

Igitur, in praesens, appellato ab actrice H. A. T., denuo citatis partibus ac Vinculi Defensore, concordatoque de more dubio, tertio est videndum: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».

In Jure. - Heic, « pro fide accipiatur debitum servandi fidem », sicuti docet Angelicus (Suppl. III P. Q. XLIX, a. 3).

Vi cuius debiti, est de essentia matrimonialis contractus, ad sacramentalem dignitatem evecti, quod jus in corpus, in ordine ad actus per se aptos ad generationem prolis, uni tantummodo cedatur, ab eodemque solum acceptetur (cfr. cann. 1012-1013, § 2 - 1081).

Verum, ad hanc simulationem verificandam, quae consistit in exclusione boni fidei, nequaquam sufficit ut quis in contrahendo cum una, de facto genericam intentionem foveat et alteri commiscendi, nisi apprime pateat *ipsam exclusivitatem juris* eum respuere, seu non acceptare velle: eo quidem sensu ut sibi jus vindicet, seu rectius vindicare praesumat, alii personae, vel aliis, suum corpus tradendi, atque earumdem carne ad libidum utendi. Quid autem sit, quidve importet jus eiusmodi, si res penitius quaeratur, non difficile patebit: ille nempe videtur, in contrahendo cum una persona, reservare sibi jus et alteri se tradendi, et eiusdem corpore utendi, qui, coram dilemmate positus valedicendi tertiae personae, vel matrimonio, quod in eo est ut contrahat, huic potius quam illi renunciare, sive verbis sive aliis modis non ambiguis, dispositus videretur.

Aliis verbis, hoc exclusivam jus indubitanter laeditur seu excluditur, quando: a) aliqua limitatio apponitur consensui, quae sit contraria debito fidei servandae; b) intentio proditur se non aliter obligandi in contrahendo, nisi cum restrictione: i. e., excluso onere se aliis non commiscendi; c) positiva obligatio contrahitur cum tertio rem habendi; d) facultas reservatur non observandi fidem.

Nec, ut bonum fidei exclusum habeatur, necesse est ut quis intentionem foveat ducendi, tempore propitio, fornicationis socium; sed satis est ut, una simul cum coniuge, et tertium, ad concumbendum, retinere positivo actu decernat.

Etiam simulatio de qua nunc, sicut et alius cuiusque generis simulationes, difficilis probationis est, imo difficilioris. Nam, ex una parte, tota quaestio est de actu interno recte exigendo, et, ex altera, recolenda venit distinctio inter obligationem ipsam, et ipsius obligationis adimplementum: juxta quam — ut AA. et jurisprudentia H. S. O. unanimiter docent — simplex propositum foedandi coniugium per adulterium (quod per se obligationis adimplemento contrarium est) consensum substantialiter non vulnerat.

Evincitur, nihilosecius, et haec simulandi forma per argumenta, quae bene nota sunt: i. e. probata prius adaequata simulationis causa, dein confessione simulantis, tandem circumstantiis antecedentibus, concomitantibus et subsequentibus, quae assumpto prosint.

Confessionem autem simulantis quod spectat, Dominis placuit rem ulterius enucleare, ad illustrandum robur eidem competens.

Huiusmodi confessio, si *tantummodo* in foro data — uti lex praecipit et ipsa ratio suadet — contra valorem matrimonii non probat, et, generatim loquendo, exigui prorsus momenti habetur: est enim in causa bonum publicum (cfr. can. 1751). At, si extra judicium *etiam* evenerit, vel extra judicium *tantum*, judicis erit aestimare quanti, perpensis cunctis rerum adiunctis, facienda sit (cfr. can. 1753). Et tamen ne excidat per subiectam materiam, plus quam per alius generis simulationes, dedecus quam maximum, aliquando, sive simulanti sive familiaribus obvenire posse: exinde in eis facile studium circumstantias nonnullas occultandi, vel attenuandi, aut certo modo reddendi, aut, uno verbo, simulationem ab interesse habentibus denunciatam simpliciter negandi ac reiiciendi. Prudentissimi vero judicis erit simulatoris confessionem colligere non modo ex iis, quae accusatus, in judicio vel extra judicium, expresse affirmavit vel expresse negavit; sed etiam, imo praecipue, ex iis quae callide tacuit, omisit, vel impugnare non ausit, horum quidem momentum non advertens: quae, si debita attentione comparentur cum certis gestis et actis indubiae significationis, intentio in abditis cordis occultata, vel ipso auctore nolente, non difficulter prodibit.

In Facto. - Ad hoc ut tela infausti dramatis, quod per celebrationem controversi matrimonii completum est, fidelissime resultet, accurate attendendum erit ad ingenium, mores, consuetudines, vitia ac dotes praecipuarum personarum, earumque familiarium.

Monica actrix ab omnibus extollitur et laudatur, et jure merito. Porro, neque in vitae eius regimine, neque in moribus, neque in dictis, judicialiter vel extra pronunciatis, aliquid invenitur, quod reprobari debeat.

Firmiter sibi cohaerens, ideo fide dignissima, viri machinationes, quibus exclusio boni fidei adstruitur, tristis denunciat, a fucatis abstinens, absque odio et vindicta, jus suum persequandi simpliciter cupida. Quod equidem jus nedum a viro, sed et ab utriusque partis parentibus, fide nequaquam optima, conculcatum fuit. Enimvero, quantum pater conventi hoc matrimonium exoptaverit et quam multa dixerit et egerit ad illud, vel contra prudentiae legem, verificandum, acta universa docent. Cui ita adlaboranti parentes mulieris, in hoc non laudandi, auxilium validum praestiterunt. Sufficiat, ad hoc, recoluisse quae deponit praecl. testis Renatus, utriusque familiae consanguineus, et eius uxor.

Nihil proinde planum, aut suave, aut sincerum, in praeparatione harum nuptiarum; patet, e contra, illis ortum dedisse non utriusque juvenis candidi sensus, sed subdola conspiratio patris viri cum genitoribus mulieris: quibus, idest et uni et alteris, esto ob causas diversas, celebratio nuptiarum, cui parandae insudaverant, summopere cordi erat. In quae magis conveniamus oportet, si trutinae attentissimae, ut res exigit, subiiciamus viri ingenium et modum agendi, itemque aërem familiarem, in quo ipse adolevit.

Michaël a tabulis exhibetur juvenis non alios, nec aliud quam seipsum, cynico more, diligens: ignavia insignis, ingenio deses, animo debilissimus, in libidines et mundi illecebras pronus, curarum atque onerum immemor prorsus.

Et in horum, profecto, elementorum summa, praeter quam in coactione, de qua mox, simulationis causa reponenda atque agnoscenda est. Actrix audiatur. « Je trouvais qu'il manquait de fond, d'idéal... il prenait tout à la plaisanterie. Il savait être gentil, bien élevé, mais san plus. On ne sentait pas de sa part une véritable et profonde affection. Nous avons parlé de notre avenir, du mariage.

On sentait bien qu'il avait reçu une éducation chrétienne, mais même sur ces questions tout finissait par tourner à la plaisanterie. A propos de fidélité conjugale, je me rappelle d'une réflexion, comme celle-ci: « la vie est assez embêtante pour ne pas rigoler de temps en temps »... Il prétendait que dans la vie on n'était tenu par aucune obligation. Il trouvait, par exemple, qu'avoir un enfant d'une femme n'était pas una raison pour l'épouser ».

Et etiam si ictu oculi tabulas quis percurrere velit, relata cuncta acceptare debebit.

Simulationis causa in evidentiam posita, aggredienda nunc venit quaestio de simulantis confessione deque ceteris probationis directis argumentis. Peremptorie haic quaeritur: Praetensam simulationem vir confessusne est?

Si obvius sensus verborum, quae in judicio protulit, spectetur, responsum negativum erit. Sed agitur de re admittenda, quae tam foeda est, ut perfidus quicumque ad aperte confitendum se difficile inducat, et, aliunde ne cadat quod indubiae auctoritatis testes eum extra judicium loquentem audierunt, de eiusque dictis fidem amplissimam nunc dantes. Per quae, confessio saltem aequivalens bene adstruitur, ut infra patebit. Sed negantem auscultemus:

« Je n'ai épousé M.lle Monique — invitanti judici scribit — qu'en plein consentement, et sourtout' pour échapper. à M.lle de la V. D'ailleurs, si vous voulez avoir des preuves de ces intentions avant mon mariage, je vous serais reconnaissant de consulter Mr. l'abbé Guy, il vous parlera de l'entretien, que j'avais eu avec lui 4 jours avant de m'engager avec Monique.

Similia habet in suis vadimoniis: « ma conception du mariage est et a toujours été conforme à ce que enseigne la religion Chrétienne... je pensais contracter un vrai mariage religieux, indissoluble et unique ».

Sed, qui sic fatur ille est qui a falso in judicio proferendo, in sui commodum, nequaquam abhorret. Et qua de causa, talia assumens, pro vinculo certare contendat, patet ex postremis responsis suae primae depositionis judicialis: ubi, judici sciscitanti an, obtenta forte declaratione nullitatis, Annam Mariam in posterum ducere intendat, absolute reposuit: « Non ».

Nempe, dum ita deponebat (ut facile suspicari possumus), erat adhuc sub imperio patris sui, qui Annam Mariam, divitiis destitutam, disquisitionibus ac disceptationibus viam recidens, uno ictu, excluserat, et Monicam pro ipso, sua auctoritate, elegerat. Ne nimis, itaque, extollantur dicta patris, pariterque Michaelis, quocum Anna concinit, in deneganda quavis coactione convenientium. Nam, si sermo fiat de metu notis irritantibus, ad legis normam, vestito, transeat quod hoc, in praesentiarum, omnibus perpensis, amandandum sit; at, non item si quaestio ponatur de pressionibus ac suggestionibus, quae, perspecta maxime patientis imbecillitate, hunc in adiunctis posuerunt ad simulandum propitiis: eo vel magis, si debita consideratione attendatur quod Michael Monicam nequaquam proprio marte elegit et quod eam numquam amavit.

Ipse Michaëlis pater, etsi coactionem negans, admittit: « J'ai dit à mon fils que *je m'opposerais toujours à un mariage avec M.lle de la V.* ecc. »; ex hoc, filius, si inoboediens, indignationis paternae pondus sibi imminere intellexerat. Adhuc pater: « Auparavant, mon fils n'avait pas refusé de penser à un mariage possible avec elle (Monique), et *moi le lui proposant* ». Tandem: « Je m'appuie sur les paroles de mon fils, affirmant qu'il voulait con-

tinuer les fiançailles avec M.lle Monique, et j'en conclusis qu'il voulait rompre avec M.lle de la V. ». Stat igitur factum quod filius numquam, vel coram patre instante ac premente, tale abrumpendi propositum apertis verbis patefacere voluit.

Anguillam ipsum definiet clarissima domina, de qua sermo redibit. Inter testes, plus quam unus, etsi rerum in concreto ignarus, conventi patrem accusat eiusque humeris matrimonii huius facinus imponit.

Quo dato, bene intelliguntur ea, quae ipsa actrix a viro tenuisse tradit: « Tout cela est une affaire d'argent; si Anne avait été plus fortunée, mon père aurait marché » itemque quod revelat Marcellus, Michaëlis amicus: « A mon avis, si le mariage (Michaëlis cum Anna) n'a pas eu lieu, c'est que Michel, soumis à l'autorité de sa famille, savait que M.lle de la V. ne serait pas acceptée par son père, étant donné sa fortune insuffisante.

Mon avis sur ce point est basé sur les confidences répétées de Michel, et est confirme par le mariage postérieur, voulu par son père avec Monique, appartenant à une famille très riche », ac denique comitissa N., cuius dicta infra referemus ex integro.

Sed quid amplius ac melius, in hac probanda thesi, desiderari posset, praeterquam ipsius Annae admissiones, non videmus. Quae, utique, loquens aut scribens, studium prodit se aptandi, quovis pretio, amatissimi Michaëlis assumptis, istique obsequendi tamquam serva domino suo, ac proinde praefracte negat paternam coactionem; sed tamen multa inscia revelat, ex quibus matrimonii genesis fulget.

Verbigratia: « Vers le 15 juin (1937) on lui a présenté une jeune fille de Poitiers, en vue d'un mariage. Il m'a dit alors: « Mon pére voudrait que je me marie, mais moi, je ne veux pas. Je t'aime beaucoup, ça me suffit...

... vers le 18 août, il m'a averti qu'il devait avoir une entrevue avec une jeune fille, qu'il ne connaissait pas. Il me disait qu'il n'y avait pour moi aucun risque, qu'il ferait avec celle-là comme il avait fait avec l'autre, mais que son père lui demandait de voir cette jeune fille, et qu'il ne pouvait pas lui refuser cela. Après l'entrevue, il est venu me rejoindre dans ma chambre, il avait l'air tout joyeux, et après m'avoir embrassée, il m'a dit: « Je suis ravi, cette jeune fille ne me plaît pas du tout, mon père ne pourra pas me forcer à l'épouser »... Je le vois encore dans ma chambre, ne promener de long en large, en répétant: « *Je fonce dans le brouillard, je vais là la corde au cou, dis-moi ce qu'il faut faire*, je ferai ce que tu voudras ». Il était tiraillé par le chagrin de me voir ma-

lade, et de me faire de la peine, et par le *crainte de faire de la peine à son père*, qu'il aime beaucoup ».

Nullus profecto jureperitus, in hisce, notas non agnoscere poterit classici timoris reverentialis filii erga patrem suum: qui, si satis non est nullitati consensus determinandae, optime tamen concurrere potest in simulationem provocandam. Concludit Anna, cum aliis testibus quos audivimus: « Michel n'avait pas le courage de m'épouser, parce que je n'avais pas suffisamment de fortune ». Patris consilia, ergo, eiusdemque optata praevalere potuerunt, praesertim ratione pecuniae: « Mon mariage — concedit Michaël — n'a pas été un mariage d'amour, mais un mariage de convenance ». Quid, vero, sub verbo « convenance » exprimere intendat, vel melius abscondere nitatur, nemo est qui non videat. Utique, postquam hoc admisit, idem conventus coram judice negat audacter simulationem, de qua arguitur; sed negando, mentitur. Relevasse sufficiat in quantis peccet prima eius depositio, quae, eventis magis proxima, vividius ac felicius illa omnia et singula exprimere debuisset! E contra: ne verbum quidem unum profert circa promissionem, quam Annae Mariae dedit: eam, nempe, et nuptiis initis, rursus videndi. Quod occultum mansisset, nisi ex aliis fontibus haurire potuissemus!

Totus in eo est ut jactet consilia, quae a rev. Guy exquisivisset paulo ante sponsalis ineunda: per quod — ut iam ab eo audivimus — probare nititur suam rectam conscientiam atque sanam in contrahendo mentem. Sed hoc, revera, ad summum ostendit scintillam ultimam relligionis et honestatis in eo, tunc temporis, extinctam non fuisse; itemque probat sui animi sensum in illa hora. Si tamen probat! Nam, utique ex actis patet Michaëlem laudato sacerdoti aperuisse turpe commercium, quo ligabatur, at nullibi constat firmam voluntatem pandisse abrumpendi illud. Neque res e circumstantiis melius probatur, nam Michaël, paulo ante colloquium cum sacerdote, ac paulo post, occursus cum Anna habuit.

Quoad huiusmodi occursus, veluti fataliter accidisse nunc defendere vellet, et eorum numerum limitat, simulque instans in mulieris importunitate ostendenda: « Je l'ai revue — ait — à Paris une fois, je lui ai écrit deux ou trois lettres, en lui parlant de mon futur mariage. Elle venait quelques fois à X. pendant mes fiançailles, et les jours précédentes, mais à mon insu, *et me surprenait dans la rue, ou à la sortie des magasins* ». Sed nihil falsius, nam tenor et numerus litterarum ex actis constat, et turpium conventuum adiuncta ex Anna audivimus et audiemus adhuc.

Miscens vera falsis deinde subiungit: « *Un mois et demi, deux mois après le mariage*, j'ai repris des relations avec M.lle de la V.;

je l'ai revue à Paris au cours d'un voyage, et je lui ai envoyé une carte d'Italie ». Sed, instanti judici ex officio: « Avez-vous revu M.lle de la V. à Paris le lendemain du mariage? », respondere cogitur: « Oui. Un moment donné, je me suis rendu chez un garagiste pour l'achat d'une voiture *et là j'ai rencontré M.lle de la V. Je ne lui avais pas donné rendez-vous* ».

Horrenda autem veritas, quam praefata Michaëlis verba enecare nituntur, praecise erumpit ex ore Annae de la V.: « Je suis restée — ista refert — sans voir Michel, et sans nouvelles de lui, depuis le 18 septembre, jusqu'au 5 ou 6 octobre, trois semaines avant son mariage. Etant sans nouvelles de lui, et apprenant qu'il était au Val André, je suis partie avec mon frère pour l'y voir. *Il m'a donné rendez-vous à X.* pour après le diner, qu'il prenait à Z., chez Monique. Nous sommes partis ensemble, dans son auto, sur la route de B. A ce moment là, il m'a dit: « Pourquoi es-tu revenue? *Maintenant que je t'ai revue, je n'aurais plus le courage de ne plus te revoir* ». Je lui ai demandé pourquoi il était parti sans me dire qu'il allait se fiancer, alors qu'il m'avait affirmé qu'il allait rompre. Il m'a répondu: « Quand les parents de Monique ont appris par tes parents que tu existais, ils n'ont au qu'une idée: hâter le mariage ». Je lui ai dit: « Je ne te demande qu'une chose, c'est de continuer à me voir ». Il m'a répondu: « *C'était mon plus cher désir, mais je n'aurais pas osé te le demander, parce que c'est briser ta vie* ». *Il me répétait qu'il n'aimait Monique*, et cette assurance me suffisait. Je lui ai dit de prévenir sa fiancée, mais il m'a répondu: « Je ne peux pas, j'ai promis à son père de ne rien lui dire. *Mais toi, tu n'as qu'à aller lui dire, va le trouver demain* ». *J'ai refusé* de *faire cette démarche* ».

Haec quanti pretii sint, ad effectum de quo in praesens agitur, non est cur explicemus. Et, imprimis, quid per verba « revoir », aut « continuer voir », aut similia, heic intelligi debeat, ambigi nequit: haec, nempe, nil aliud significant nisi prosecutionem, post nuptias, commercii prius instaurati. Quod et acta cuncta, iam cribro subiecta, plene demonstrant, et ulteriora haec Annae verba: « Je l'ai *revu le veille du mariage civil*, et *nous nous sommes donnés rendez-vous à Paris pour le lendemain du mariage*. A son arrivé à Paris, il *m'a téléphoné* chez une des mes amies, à Neuilly, où il savait que j'étais, et *nous nous sommes revus le samedi matin*. Il est parti en voyage de noces en Italie, et *je l'ai revu à Paris à son retour*. Ensuite, les relations ont été plus fréquentes dans le Midi, et quand l'occasion se présentait, et *je le vois* encore quotidiennement ».

Per haec — sicut advertimus — non modo sensus verbi « voir » plenius illustratur, sed alia multa maxime momentosa palam fiunt, idest:

1° - Mendacia viri conventi, numero ac pondere gravissima, per quae vilissime tentat onus indigni commercii, numquam interrupti, soli amasiae tribuere, dum constat ipsum libentissime eam semper recepisse, et quidem ex condicto. Excipe tempus sub initio sponsalium, cum Michaël — ut videtur — levissimum conatum abruptionis tentavit, subito per novos conventus superatum. Imo, ipse primus, dum Anna nihil adhuc ab eo quaesiverat, sponte pollicitus est: « Maintenant que je t'ai revue, je n'aurais plus le courage de ne plus te revoir ». Dein, cum mulier formaliter petivit promissionem non abrumpendi, non eam vir dimisit per frigidum ac tenue affirmativum responsum, sed per verba fervidissima, quae intimum proferentis sensum patefaciunt: « *C'était mon plus cher désir* ».

Esto, quod si Anna die illo Michaelem non adivisset, ac femineis suis languidis gratiis eum blandita non fuisset, is, forte, definitive abrupisset (de quo, tamen, maxime dubitamus!): sed, heic, non quid in adiunctis forte verificandis futurum esset, pensari debet, verum potius quid reapse evenit, et quodnam sit onus a convento, per promissionem illam, susceptum.

2° - Onus huiusmodi de se clarum est: « Je ne te demande — ait mulier — qu'une chose, c'est de continuer à me voir ». Vir formaliter acceptat, ac non nambigue se obligat ad dividendam carnem suam inter mulierem, per sacramentum sibi copulandam, ac frementem amasiam. Nec de revocatione huius susceptae obligationis acta suspicari sinunt. Igitur, posita certitudine obligationis, ac non revocatione eiusdem, quid amplius *de exclusivitate juris*, a Michaele Monicae traditi, in casu, tenendum est? Tale exclusivum jus fuisse, per verba a factis confirmata, prorsus rejectum, agnoscamus oportet. Explicite enim Michaël fovit intentionem se non aliter obligandi erga Monicam, nisi cum pessima ista limitatione, nempe adhuc rem habendi cum Anna: quae limitatio contraria est ipsi debito servandi fidem, seu essentiae consensus matrimonialis. Nec amplius de quibusvis, quae Michaël, ad ostendendum se valide consensisse, sustinet complevisse, ratio ulla haberi potest post promissionem et obligationem hanc, quae, per pactum firmata, ipsum consensum indubitanter ingressa est, cuncta sibi contraria penitus elidens.

Veniat nunc Michaël, ac repetat se juxta leges Ecclesiae contrahere intendisse. Veniat Anna, ac denuo extollat religionem amatissimi viri, ac puritatem intentionis eius ad aras accedentis: « Il

est très catholique... Il concevait le mariage comme tous les catholiques le conçoivent ». Quid sunt haec praeter quam « aes sonans aut cymbalum tinniens? » Nisi quis malit hos miseros adnumerare inter homines, qui semper paratos se exhibent ad legibus Ecclesiae obsequendum, dummodo autem lex aptetur eorum arbitriis, voluptatibus, libidinibus.

3° - Sed etiam advertenda sunt verba haec relati colloquii:

« Je ne peux pas — dixit Michael — j'ai promis etc. Mai toi, tu n'as qu'à aller lui dire, va la trouver demain ». Quod per revelationem hanc, ubi Anna id exsecuta esset, ad tractatuum matrimonialium abruptionem perventum fuisset, nemo est qui dubitet. Ideo, vir potius paratus erat ad matrimonio valedicendum, ea tamen lege ut abruptio eius operi attribui non posset, quam nequissimo commercio abrenunciare. Et per hoc, tutius firmatur thesis a praecl. causae Patronis strenue defensa: non simplex tantum obligationis adimplementum, sed obligationem ipsam coniugalis fidei, a viro convento, in casu, rejectam fuisse.

Ne obiiciatur actricem judici percontenti: « ... avait-il l'intention de contracter un vrai mariage? Avait-il l'intention de se obliger? », respondisse: « Je crois que oui, il avait l'intention de contracter un vrai mairage etc. »; nam haec simpliciter mulierem juris nesciam produnt, at simul rectum ostendunt proferentis animum, qui abhorret a declarando contra id, quod cogitat, judicat, opinatur. Ceterum, praedicta ne a contextu separentur; cito, enim, eadem actrix subiunxit: « Il n'avait sûrement pas l'idée de s'obliger. D'ailleurs, il prétendait que, dans la vie, on n'était tenu par aucune obligation »; per quod, actricis mens ex integro aperitur.

4° - Unde, negatione viri minime obstante, eius extra-judicialem simulationis confessionem in propatulo esse Patres rati sunt. De huiusmodi fidem dant prae primis Anna, revelans *obligationem*, quam aliter ignoravissemus: Anna,inquimus, quae eo magis credibilis est, quo maiore studio flagrat utcumque Michaëlem exaltandi, eiusque assumptis favendi; deinde, ipsa actrix, quae confessiones viri auscultavit, tempore adhuc non suspecto exhibitas; tandem comitissa N., cuius scriptum testimonium, juramento firmatum coram judice, non modo ob dignitatem scribentis, et ob constantiam ac sobrietatem in exponendo, Patres Domini acceptandum decreverunt, sed etiam, imo praecipue, quia in nullis, umquam, a convento impugnari potuit.

Itaque, praelaudata testis postquam vivide exposuit vicissitudines postremae vitae coniugalis periodi, addit: « On fut tranquille pendant quelques jours, et semblait satisfait de son sort; mais ce garçon parfaitement faux nous donnait l'impression, à mon mari

et à moi, qu'une fois encore sa docilité m'était qu'une apparence. En effet, quelques jours plus tard, ma cousine (i. e. actrix), le raccompagnant sur le chemin du quartier... s'y trouva nez à nez avec M.lle de la V., et nous revint toute découtenancée. Michel, interrogé, prétendait que ce n'était pas de sa faute que M.lle de la V. le poursuivait et qu'il ne demandait mieux qu'on l'en débarrassât...

Toujours est-il que nous nous aperçumes que Michaël, mentait sans cesse, et qu'il semblait dire comme nous par devant, par derrière il faisait tout pour retrouver M.lle de la V., lui écrivant, téléphonant, la voyant s'il pouvait s'échapper, ne serait-ce que quelques instanst.

Nous décidâmes, donc, d'en finir avec cette comédie, et nous eûmes avec Michel un entretien serré à la maison, l'obligeant cette fois à parler nettement, si l'on peut dire quand il s'agit d'une pareille anguille. Personnellement, je lui parlai seul à seul, et lui demandai pourquoi il avait épuosé Monique, qu'il n'aimait pas, alors qu'il avait M.lle de la V. dans sa vie, et à la quelle il tenait?

Il me répondit que c'était son père qui l'avait forcé à agir ainsi, ne voulant pas entendre parler de mariage avec M.lle de la V., qui n'avait pas d'argent, tandis que ma cousine était un beau parti. Il se défendit, me dit-il, mais à la fin, ayant peur de son père, il céda, en se disant qu'après le mariage, il s'arrangerait bien pour semer ma cousine, et sourtout ne pas perdre M.lle de la V. Ainsi l'argent de l'une faciliterait la vie avec l'autre, tout simplement. Et, en effet, il mit aussitôt ce joli programme en application ».

Ac reapse processuales paginae, si accurate inter se comparentur, relationem factorum, prout a Comitissa N. perhibetur, fidelem ac vero congruentem plene probant.

Post haec, tam Anna quam Michaël denuo a judice excussi sunt.

Prima confirmavit per scriptum, quoad substantiam, quae oretenus, aliquot ante annis, deposuerat. Notetur — si dubium quodcumque ad rem superesse hucusque potuerit — quod, proposito a judice quaesito: « La promesse, que Michel a vous faite de vous *revoir* signifiait-elle qu'il désirait garder avec vous les mêmes relations, qu'auparavant, dans la mesure du possible? », reposuit: « Je pense que oui ». Et addidit, judici instanti adhuc respondens; « Cette promesse, la première fois, a été sponstanée. Joyeuse? Je ne le sais pas: ni l'un ni l'autre n'étions pas joyeux, heureux.

Je crois qu'après avoir cru l'un et l'autre que tout était fini, nous entrevoyons à nouveau une possibilité de nous revoir. Sincère? Je le crois. Ferme? Certainement sur le moment. Après réflexion, je crois en effet que, malgré le désir qu'il avait de me revoir, il était tourmenté par l'idée de mal agir et qu'il l'avait regrettée. Non, la première fois, je n'ai pas eu à insister pour qu'il me fasse cette promesse. Après, il a hésité à la tenir.

Oui, en cette recontre là, il m'avait donné des preuves de la sincérité de sa promesse. Il y avait entre nous une profonde tendresse ce jour-là, je dis tendresse au vrai sens du mot ».

Haec, quidem, quae maximae sinceritatis notas praeseferunt, eo quod sine praeoccupatione theseos cuiuslibet demonstrandae scripta sunt, negocium quod Nostra interest non parum illustrare, omnibus patet.

Simplici huic atque apertae Annae confessioni, postrema Michaëlis depositio opponenda venit, qua incertus, vacillans, non sibi constans, item implicans in terminis exhibetur, omnino impar confitendae atque acceptandae veritati, quae urit:

1°) Videatur quomodo, interrogatus an Annae promiserit « de la revoir », manifesto nunc, tandem, id concedat. Promissionem vero postremo (ante matrimonium) occursui assignat, dum aliunde certo scimus intervenisse non in ultimo, sed in paenultimo duorum amantium conventu, qui locum habuit « trois semaines avant son mariage ».

2°) Sustinere etiam molitur promissionem fuisse a muliere extortam, sed hoc contradicit depositioni Annae, quae magis adminiculata ac simplex est, ideo credibilior.

3°) Judex adhuc a Michaële quasivit: « Lui avez-vous promis de la revoir avec sincérité, ou bien pour vous débarasser de son importunité? », et ipse reposuit: « *Les deux* ». Sed hoc contradictorium est. Sufficiat, autem, pro re nostra, advertere Michaelem nequaquam sinceritatem promissionis impugnare ausum esse, quod adhuc melius patebit ex iis, quae addidit: « Je sentais que ma conscience m'interdisait de la revoir après mon mariage. D'un autre côté, *j'avais vraiment envis de la revoir*... Je n'osais pas lui parler ferme, *j'avoue qu'elle avait une grande emprise sur moi* ».

Et his quidem, ex uno latere plenius firmatur genuinus sensus verbi « revoir », ideo et obligationis per ipsum assumptae: ex altero, ostenditur quam fortibus et inextricabilibus laqueis vir feminae illi adhaesisset: quos quidem solvere, si res profundius consideretur, numquam, ullo pacto, voluit; etenim, ex multis mediis quae praesto erant, non unum adhibuit, imo nec adhibere tentavit

aut incoepit, et ex adverso in nexus arctiores faciendos indesinenter adlaboravit.

4°) Satagit vir superabunde loqui de mulieris circumventione, eique placet *uitroneas* (ut praetendit) visitationes commemorare ac denunciare, itemque eius per telephonium appellationes etc.; sed omnimodo silentio premit id quod aliunde (i. e. ex depositionibus Annae, et Comitissae N., et ipsius actricis, mire convenientibus) bene notum est: nempe eum ipsum Annam constanter informavisse, et per litteras et per telephonium, circa loca et tempora pro occursibus magis opportuna. Et, cum parentes ad oras Galliae meridionalis coniuges mittere voluerunt, eo fine ut Anna occasiones amitteret occursandi Michaëli, iste commorationis ac stationis loca cum illa communicanda curavit, ita ut fidem illi datam frangere velle non videretur, et illa statim ad eum convolare posset.

De circumstantiis separationis referendo, adhuc se quasi circumventionis victimam praesentat, aiens: « A Douai, N. a fait partir une première fois M.lle de la V. Elle est revenue d'elle-même. Croyant que c'était mois qui l'avais fait revenir, les N. et Monique ont fait venir le père de Monique. Un soir, en rentrant de la caserme, je l'ai trouvé, qui m'a dit que tout était fini avec sa fille, et qu'elle allait demander l'annullation du mariage ». Ac statim, incredibili fere audacia, pergit: « Je leur ai assuré que ce n'était pas moi, qui avais demandé à M.lle de la V. de revenir, ils ne m'ont pas cru », immemor, forte, eorum quae in primo examine dixerat: « Du Midi, où nous étions, j'ai écrit à M.lle de la V., en lui disant que je serais prochainement à Douai, pour accomplir une période militaire. Mais je la suppliais de ne pas venir m'y retrouver et de me laisser tranquille désormais puisque j'étais marié ».

Haec autem nonnisi miserationem legentis movere possunt: quis enim non intelligeret similia scripta, a Michaële Annae missa, datis praecedentibus, nedum invitationem, sed et incitamentum pro muliere constituere debuisse?

5°) In postrema depositione, Michaël praeconstituisse tempora et loca occursuum cum Anna non amplius negare audet: « Nous nous sommes rencontrés, mais je ne me rappelle pas si je lui avais donné rendez-vous. *Je ne le nie pas non plus* ». Postea, circa occursum Parisiis, qui locum habuit postridie diei matrimonii, habet: « Je ne me rappelle pas si je lui ai donné rendez-vous ». Sed hi memoriae lapsus, quo facilius et commodius ab eo in medium adducuntur, eo difficilius a Judicibus admittuntur: etenim similia, et in similibus adiunctis, nemo sanae mentis oblivisci potest.

Ceterum, quod ipse non recordari fingit, optime ab Anna in judicio adductum est.

Adhuc: « Oui, je l'ai rencontrée à Paris à mon retour de voyage de noces. Je ne sais si je lui avais donné positivement rendez-vous, *mais je ne l'avais pas laissée ignorer la date de mon retour* »: ex quo non sat apparet utrum conventus ignorantiam et oblivionem simulet an potius malit ludere verbis.

6°) Observat quoque: « Si ma femme avait été moins froide et moins insignifiante, je me serais, sans doute, attaché à elle, et je m'aurais pas recherché à revoir M.lle de la V., après mon voyage de noces. J'ai essayé deux ou trois fois dans la suite de m'eloigner d'elle, en allant dans le Midi avec ma femme, en la quittant brusquement une autre fois à Rennes, et enfin en partant pour Douai; mais à chaque fois elle a réussi à me rejoindre etc. ». Sed quomodo miseranda mulier calefieri potuisset coram viro, qui eam duxerat ob « convenance », i. e. non amore eius, sed divitiarum eius, et animo non ex integro libero? Coram viro, qui toto corde et omnibus viribus, aliam prosequebatur?

Utcumque, constat relapsus postnuptiales in periodo sponsalitia iam decretos fuisse, unde nequaquam Monica potuit, frigidam ac mediocrem se praebens in coniugali consortio, ipsis ansam dare.

Sed instemus adhuc in praedictorum viri verborum consideratione: « je n'aurais pas recherché à revoir etc. »: pretiosa admodum haec confessio! Quae cum alibi asserta ex parte Annae circumventione, certo componi nequit!

Denique: « J'ai essayé deux ou trois fois etc. »: sed heic, vere, huius viri fatuitas et protervia se ad invicem osculari videntur; nam bene novimus utrum ille, an aliquis alius, et quibus de causis, itinera « dans le Midi » et « pour Douai » statuerit, itemque non ignoramus quantum ille insudaverit, currentibus praedictis itineribus, non ad amasiam pellendam vel aufugiendam, sed ad eam apud se reclamandam.

7°) Postremo, hic locus alterius conventi examinis judicialis summi momenti Dominis visus est: « Ici le Juge lit au défendeur le passage essential de la lettre de mad. N., où elle affirme que Michel lui a dit qu'en se mariant il avait l'intention de « semer » sa femme ». Subinde a convento quaesitum fuit: « Avez-vous tenu ce propos? ». Et respondit iste: « *Je ne m'en souviens pas.* Au reste, je n'ai pas eu une longue conversation avec M.me N., mais avec son mari ».

Igitur, negare non audet, sed potius tentat effugere praecisum responsum. Et dum, audiens a judice ea, quae frater Annae illi tribuerat, bis cathegorice eadem impugnavit, heic, coram dominae

N. urgentibus accusationibus, simpliciter quaerit oblivionis effugium, quod in maxime salebrosis semper in promptu habet.

Sed modus hic loquendi ac se gerendi in judicio, quem conventus elegit, satis superque est ad veritatem scripturae dominae N., per quam simulatio consensus viri evincitur, peremptorie confirmandam.

Igitur, conspirantibus simulationis adaequatis causis, ac simulantis confessione (modis ac temporibus expositis data), propitiis quoque circumstantiis ante ac post nuptias verificatis, sacramentale foedus cadere agnoscendum est.

Altum, vero, Domini proclamaverunt se voluisse, sic decidendo, non iniquitati emolumentum largiri; sed simpliciter justitiae — uti par est — obsequium praestare; pariterque ordinem a viro laesum restaurandum jubere; denique parti innocenti quietem animi ac libertatem status — sicut ipsi competit — restituendam decernere.

Quibus omnibus in jure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno definitive sententiamus, respondentes ad dubium propositum: « *Affirmative*, seu constare de matrimonii nullitate, in casu; vetito tamen viro transitu ad alias nuptias, nisi coram Ordinario loci graviter, sub jurisjurandi fide, promiserit se fidei obligationem, ac cetera matrimonii onera essentialia, susceptu-rum ad normam juris ».

Andreas Jullien - *Decanus*
Petrus Mattioli - *Ponens*
Emmanuel Bonet

II

Coram R. P. D. Petro Mattioli, *ponente*

Sententia diei 30 jan. 1956

(de metu reverentiali)

Species Facti. - Quae in publicis regestis Anna Marini inscribitur, tamquam legitime generata a conjugibus Carolo Marini et Maria Boni, de facto, non apud eos, qui ut eius parentes in documentis dantur, sed in domo hominis ditissimi, cui nomen Carolus Alcini, nutrita et educata fuit.

Siquidem, in palatio, ubi domus Alcini sita erat, conjuges Marini ut janitores famulabantur, et, insuper, mulier Marini, non infrequenter, apud illum dominum, domestica explebat munera.

Itaque, Carolus Alcini, qui, ingenii acerrimi ac tenacis operae gratia, e tenui ad excelsam condicionem pervenerat, quique vitam

caelebem vivebat, Annam amore tam fervido, anxio, ac paene exclusivo, constanter dilexit, ut ipsi eidem, vix adolescentiam ingredienti, veluti alter parens agendo, sponsum eligeret juvenem Dinum Amati, non uno ex titulis sibi gratum et acceptum.

Cessit quidem Anna tanti protectoris voluntati, et, die 26 septembris 1929, in urbe X., ad ecclesiam SS. Crucis, inter eam, quae undevicesimum aetatis annum adhuc non adepta erat, et juvenem Dinum, simplicissimo ritu, nuptiae factae sunt.

Vita communis, etsi prole ditata, numquam laetabunda transcurrit, et, vita functo (post decennium circiter elapsum) Carolo Alcini, desivit prorsus.

Qui tamen Carolus beneficiis paene innumeris, sive coniuges Amati, sive eorum prolem, ulterius cumulare non dubitavit: etenim, Dinum, quem sui operis socium et conlegam jam elegerat, etiam hospitem et convivam stabiliter recepit, et, insuper, Annam legali adoptione sibi ut filiam devinxit, et eam, tandem, heredem ex asse constituit, eius quoque filios proprio cognomine donans.

Abruptis vitae communis nexibus et filia Carola in matrimonium collocata, aptis etiam consiliiis perducta, Anna, post obtentam pontificiam Commissionem, libellum obulit S. Rotae, die 11 nov. 1953, matrimonium accusans ob coactionem quam contrahendo passa esset.

Sed in Turno coram R. P. D. Pinna, die 11 januarii 1955, sententia votis eius contraria data est.

Ipsa appellante, res ad superiorem Turnum devenit. Itaque, denuo actrice excussa, novaque teste auscultata, hodie, citatis de more partibus ac D. V., diluendum est dubium sueta formula propositum:

« An sententia Rotalis diei 11 januarii 1955 confirmanda vel infirmanda sit ».

In Jure. - Contenta in can. 1087 C. J. C., per quae consensus matrimonialis, ubi ex metu certis notis qualificato editus probetur, pro nullo haberi debet, ita omnibus innotuerunt, ut heic ad unguem referre non indigeat.

Sed constat pariter, sive in doctrina sive in jurisprudentia, metum distingui in communem et reverentialem.

Primus in trepidatione consistit ob prospecta mala vel *minas praesertim* ordinis physici (ut sunt, verbigr., minae occisionis, exheredationis, eiectionis, desertionis, aut sunt verberationes, mutilationes etc.), vel etiam ordinis moralis (ut, verbigr., maledictio, diffamatio etc.); alter in trepidatione, quae in animo patientis oritur praesertim ob potestatis abusum ex parte Superiorum, utique sine malis physicis, sed etiam sine minis per quas obiectiva mala mo-

ralia prospiciantur. Porro, res tota consistit in jussu Superioris, firmissime notificato, et in timore patientis ne inoboedientia gravem indignationem Superioris provocet: talem, nempe, quae non solum de se grave malum constituit, sed fontem malorum quae praevideri et enumerari non possunt.

Reverentialis metus, etsi levis generatim aestimetur etiam pro puellis minoris aetatis, in gravem ac vere injustum converti posse constat, ubi plura simul conspirent in evincendum patientem seu trepidantem, non amplius sui consilii dominum, reapse uti victimam cadere debuisse sub imperio, cui resistere non potuit. Quae, quidem, ad lucem jurisprudentiae N. S. O., ita reassumi possunt:

1°) Coacti consensus fulcrum semper super aversione innititur: quo gravior, quo constantior, quo patentior nupturientis aversio, eo planius gravis metus conceditur.

Non tamen absolute requiritur quod contrahens odio vel simultate vel repugnantia in compartem exerdescat: satis sit probare hanc uti conjugem nequaquam desiderari, quin imo uti talem expresse ac reduplicative respui, vel ex eo, verbigratia, quod alieno amore aversans ardentissime flagret, vel quia a matrimonio celebrando quovis pacto abhorret, immaturum vel ineptum se existimans.

2°) Indolis atque ingenii metum incutientis ratio habeatur, praesertim in comparatione cum indole patientis, huiusque aetate. Etenim, ut nemini ignotum est: « pro puella militat aetas ». Et jure merito! Porro, qui ab adolescentia egressi non sunt, etiam si ingenio non timido et non debili dotati, ea rerum cognitione hominumque carere praesumuntur, cuius gratia animi vigor extollitur ac veluti augetur, ideo par fit ad rationabilius resistendum: nempe, non verbis inconsiderate jactatis, sed argumentationibus logicis, per quas ipsa Superioris vis ac praepotentia elidi potest. Adolescentes saepe saepius in sui favorem disceptare ac luctari nesciunt; simpliciter lacrimas effundunt, vel per silentii scutum se defendunt: unde profligati dimittuntur.

Quocirca, etiam relevandum est non semper, nec perpetuo, pressiones multiplices ac verba asperrima, etiam cum alapis aliquando permixta, sufficere pro metu reverentiali qualificando: nempe, quia ad mores individuales et domesticos, et ad gradum socialem familiae, attendendum est (cfr. una Tyrnavien., coram R. P. D. Canestri, 16 jan. 1944). Porro — uti dicere usuvenit — canes qui frequenter baubantur, perraro mordent; et, aliunde, scitur quod inter rudiores homines, vel inter eos, qui subita sed fluxa ira accenduntur, sat communis est modus loquendi insolens, et vel turpis aut turpissimus, nonnullis percussionibus, forte, corroboratus: propter quod, tamen, nemo trepidat nec graviter nec

leviter, et nemo ad agendum contra proprium libitum iudicitur, sive quia ab assuetis non fit passio, sive quia ex experientia noscitur insaevientem illum hominem, post ictum irae sedatum, se de minis incaute prolatis nec amplius cogitare.

Non desunt, ex adverso, qui decretum voluntatis suae tam frigido, simulque tranquillo modo, pandere consuescunt, ut ne vocem quidem contendere vel augere, in exponendo, necessarium vel opportunum habeant.

Sed eorum forma mentis, nemini ignota, et aspectus, oculus, gestus, de statuti ac decreti firmitate pondus ac rationem, infallibiliter, dat ac prodit. Unde, peropportune a S. Rota docetur nedum instantissimam precem, atque constantem pressionem, filii seu subiecti animum ita, aliquando, vexare posse, ut illum non absque gravi injuria frangat, sed et pertinax jussum seu absolutissimum mandatum, semel tantum et in perpetuum datum, cui se subtrahere quis non possit vel non audeat, obscure pejora timens (coram Heard, 16 mart. 1944; coram Wynen, 11 aug. 1945).

3°) Dicitur, et jure quidem, coactioni injustae locus non esse, ubi subiectus, matrimonium acceptando, morem simpliciter gerat superioribus, nisi *invitus* egisse probetur.

Invitus autem censetur qui, signis non ambiguis ante ac post matrimonium datis, ostendit se, argumentis vel mandatis parentum non persuasum, numquam acquievisse, numquam se aptasse, sed eorum voluntatem subiisse, aegre atque injucunde, ore acceptando id quod cor repellit quia ad aliud constanter et invicte conversum.

4°) In metu huiusmodi pensitando, de effugiis, quae forte pateant, accurate inquirendum est. Coactio enim nec gravis nec injusta haberi posset, ubi praesto sint modi complures ad illam devitandam.

Si, contra, quaevis intercessio, vel consilium, vel auxilium deficiat, aut difficile — datis adiunctis — adhiberi posset, vel. utcumque, ubi tentamen intercessionis vel effugii praevideatur animum Superioris adhuc magis incensurum, de metu graviter injusto dubitandum non est.

5°) Probationem quod attinet, non una vice Rotales Decisiones edixerunt plurimum deferendum esse depositioni illius, qui metus victima ponitur. Etenim, cum consensus actu interno perficiatur, victima solummodo, inter puras creaturas, *directe* cognoscere potest num libere vel coacte consensum ediderit.

Ideo, metum accusanti credendum est: si tamen — ut ipsa ratio dictat — fidem omnimodam, ceteris paribus, sibi vindicet. Idest, si appareat sibi constans; si rectis consiliis, rectoque adipiscendo fine, moveatur; si bono credibilitatis testimonio donetur; et, uno verbo, neque falsum proferre, neque verum omittere, vel exaltare seu adulterare, mala aut bona fide, temptare videatur.

Posita plena metus irritantis probatione, nihil refert quod patiens rem factam acceptaverit, vitam conjugalem pro posse toleraverit etiam per annos complures, debitum reddiderit, filios generaverit, et contubernium non suo marte abruperit, vel, saltem numquam abrupisset, nisi eventus prorsus extranei accidissent (ut adulterium, dissipatio bonorum etc.). Haec enim e causis compluribus repeti possunt, praesertim e debitae scientiae et opportuni consilii carentia (cfr. una Lodzen., coram Parrillo, 10 aug. 1931; coram Heard, 10 mart. 1944 etc.).

In Facto. - Actrix, cuius rectum animum complures extollunt, in quadregesimo et ultra aetatis anno constituta, sui juris prorsus, et plenissime sui compos, imo discretione ac judicio tam matura, ut undequaque asserti sui pondus intellegere ac metiri valeat, praefracte, nec una vice tantummodo, sive in judicio sive extra judicium, defendit se, amore alieno cum aestuasset, nuptiis cum convento constantissime adversatam fuisse, easque tandem obtorto collo acceptasse: non quidem morem agendo imponenti Carolo Alcini, sed ob timorem indignationis eius, quem loco patris habebat, diligebat, venerabatur.

Nec, si verum et probatum, per id locum dari metui reverentiali qualificato ambigi posse, Patribus praesentis Turni visum est.

Quid, re vera, pro Anna Carolus Alcini esset, summa attentione prae oculis haberi debet, indesinenter quidem, ab eis qui hanc causam judicandam suscipiunt, sed non est cur heic per longum et latum explicari debeat. Unaquaeque processus pagina clamitat, et maxime epistolae ab actrice productae: quarum tenor, si Carolus pater Annae carnalis non esset, vix intellegeretur.

Utcumque, ad evidentiam patet Carolum pro filia Annam semper habuisse, et Annam eum ut patrem amantissimum, sollicitum, tenerum, coluisse, nec alios amores ipsam cognovisse, item nec alios potestatem super ea habentes, vel eius obsequium requirentes aut praetendentes; ita ut, inter unum et alteram, interventus quivis efficax seu utilis, vel etiam eorum qui coram lege ut Annae parentes apparebant (i. e. matris carnalis eiusque mariti), ne concipi quidem potuisset.

Usque hodie Annam tanti patris et benefactoris memoriam, imo et cultum, laudabiliter servare, ex actibus liquet.

Hisce praehabitis, vix non statim Patres Domini adnotandum decreverunt nonnulla, quae in praecedenti Rotali sententia sustinentur, probari atque acceptari non posse. Quae quidem sunt:

A) - Ibi legitur inter alia: « Numquam ad finem consequendum Carolus vexatus est filiam eamve obiurgavit, numquam minas protulit ».

Bene quidem. Sed numquam actrix minas patris commemoravit, imo in novissimo examine minas quascumque iterum iterumque, verbis clarissimis, exclusit. Nihilosecius, unus vel alter testis minas commemoravit, vel saltem edixit non defuisse homines, qui minas aliquas, ut facile praevidendas, actrici exhibuerunt. Non irrationabiliter prorsus hos homines egisse dicendum est: nam a Carolo irato extranei illi multa expetare potuissent. Haec, vero, cuiuscumque ponderis sint, actricem despexisse prorsus, ex ipsis actricis depositionibus constat, maxime ex novissima. In qua, post infaustum primae instantiae exitum, patri jam demortuo, ad salvandam causam, quaecumque attribuere potuisset, etiam addendo — ut non raro in similibus contingit — talia in praeteritum non revelasse, obsequii ac venerationis causa: et ita agens vel loquens, non alii, praeter quam Judici Divino, rationem reddidisset. Ab his autem abhorruit actrix nostra, et in sobrie assertis primi examinis simpliciter institit: unde, tam constanti ac firmo eius assumpto, per quod metus simpliciter reverentialis denunciatur et accusatur, absolute credendum est.

B) - Legitur adhuc: « Nec inflexibile jussum Annae prorsus invitae datum, quod quivis intellexisset certissime ductum ad infelicitatem puellae, componitur cum ardenti et firme insano amore patris in filiam ».

Quivis intellexisset non ea forma mentis donatus, qua Carolus Alcini eminebat: per quam — ut novimus — maxime habilem se tenebat in scopis ac finibus a longe praevidendis, et in omnibus mediis opportunis tenaciter, patienter, infallibiliter disponendis, ideo falso ratus se super voluntatem et affectus adolescentis filiae dominari posse, sicut super industriae negocia et homines dominari solebat, illa et illos ad consilium suum, vi quacumque reiecta, semper trahens.

Eius amor in filiam ardentissimus a nemine negatur, ne ab actrice quidem: sed, praecise ipsius causa, magis firma eius voluntas asseritur et agnoscitur in eo persequendo et imponendo, quod verum filiae bonum aestimabat.

C) - Legitur insuper: « ... difficile esse credere, attenta tam magna dilectione, Carolum recurrere potuisse, vel cogitatu, ad causandam scienter et volenter tristitiam et infelicitatem dilectae filiae ».

Neque « scienter » neque « volenter » Carolum dilectae filiae infelicitatem et tristitiam causare voluisse, et Nos, alterius instantiae Judics, pro certo habemus. Quin imo, de opposito non dubitamus: i. e. *scienter et volenter* verificare voluisse verum filiae bonum. Quod incunctanter et ipsa filia defendit, dicens: « Nessuno, eccetto l'Alcini, fu contento della mia nascita, e tutti tolleravano

a malincuore la mia presenza: tutti, non esclusa mia madre (quod de plano intelligitur!). L'amore geloso e assolutista dell'Alcini, e il suo ardente desiderio di sistemarmi con persona che, prendendo in mano e continuando la sua azienda, rappresentasse una sicurezza assoluta per il suo avvenire, furono gli elementi che fecero sparire dalla sua considerazione altri fattori importanti, come quello del sentimento forte e reciproco tra me e il Monti, sul quale non si poteva legittimamente passar sopra, e dal quale non era giusto prescindere. Sono sicura che non si rese conto di tutto questo e che mirò dritto a quello che vedeva come il mio bene, da perseguirsi e da attuarsi assolutamente ». Huiusmodi boni intuitu, Carolus, tempore atque modis, quae magis propitia habuit, agere non dubitavit super filiae morbidos (quos judicabat) et non secundos affectus, sicut chirurgus agit super insanum et insanandum membrum: dimissa, nempe, quavis pietate paterna, resecavit, obtruncavit, abrupit, ita ut dolor praesens ac fluxus cito ac facile cederet, prout in votis sine dubio habebat, perenni ac tranquillae laetitiae.

D) - Adnotatur sponsalia cum Dino, a patre parata, Annam inivisse « quin quid patri suo obiiceret ».

Quodnam autem efficacius responsum — animdverterunt Domini — Anna, os aperiens, dare potuisset, quam illud, quod reapse — vi factorum ac gestorum — ipsa eadem dedit? Siquidem — ut ipsa appellata sententia admittere cogitur — puella prosequi clanculum conata est commercium illud cum juvene amato, quod iam ab annis instauraverat ac nutrierat. Et eo usque res pervenerunt, ut mater Dini, de huiusmodi certior facta, consensum jam datum pro matrimonio filii sui tunc (secundum vigentem legem) aetate minoris, per actum publici notarii retractandum censuerit.

Voluit nihilosecius Dinus, a Carolo Alcini tranquillatus ac confirmatus modo et verbis, de quibus infra videbimus, matris oppositionem posthabere (quod et practice potuit quia, superveniente nova lege Concordataria, juveni, vicesimo primo anno superato, libere, absque parentum consensu, contrahere licuit): non tamen acquievit mater, nec fortiter agere desivit, omni nisu satagens ne matrimonium illud celebraretur. Et, in pervigilio nuptiarum — ut ex actis — sive per se, sive per novum maritum suum, adhuc Dinum severissime admonitum voluit. Cuius facionoris pondus ac significatio egregios appellatos Patres, forte, aufugit prorsus: mater enim Dini, utpote vidua viri illius, qui in industria Caroli Alcini socius extiterat, Dinum eumdem, filium primogenitum, loco defuncti patris, a Carolo acceptatum viderat, et tamquam filium ab eodem tractatum, et in sponsum dilectissimae *unicae* filiae electum,

1. e. *unicae* (sicut a multis non irrationabiliter praevidebatur) *heredis*.

Cuncta haec matris Dini animum laetitia et gaudio replere debuissent! Sicut, ex adverso, sponsalium abruptio, et matrimonii renunciatio, praepotentis ac ditissimi hominis vindictam ne excitaret, timendum fuisset. His non obstantibus, mater Dini, de amore inter Annam et alium juvenem edocta, consensum in nuptias jam datum inexorabilis retractat, non ore tantummodo — notetur — sed per documentum sollemne, quasi responsabilitatem suam, ante Deum et homines, scindere volens. Et, in tali oppositione firmiter perseverando, nuptiis adsistere recusat, quin imo, pridie diei nuptialis, filium suum per scriptum tam durum adhuc avertere conatur, ut iste, propter reverentiam in matris memoriam, tales litteras actis consignare refutet, adnuens tantum ut eas causae Ponens perlegat.

Quid omnia haec sibi volunt? Et quid, pariter, sibi volunt verba illa, quibus graviora excogitare non possemus, quae vitricus ad Dinum mittere voluit die 25 septembris 1929?

Attendantur et recogitentur: « prima che si compia la tragedia del tuo suicidio morale (sic!), permetti, Dino, che... anch'io ti supplichi a riflettere, a tornare un momento in te, e ad ascoltare la voce del cuore e della tua coscienza, che io son certo non sono inaridite del tutto. Pensa al tuo onore calpestato, pensa all'irreparabile, perchè certe macchie corrosive dalla vita di un uomo non si possono più cancellare, pensa allo strazio di tua madre.

Quali malie possono averti ottenebrato il cervello, chiuso il cuore, assopita la coscienza?

Dino, ancora ti supplico, fermati sull'orlo del precipizio, baratro o voragine, in cui tutto stai per precipitare... Unanime è negli onesti, che ti vogliono bene, il senso di meraviglia di dolore, di compianto, di sdegno.

Ripensaci, sei ancora a tempo, pensa al tuo avvenire materiale e morale, alla tua pace, alla tua felicità infranta per sempre, pentirsi sarà troppo tardi, rifarsi una vita morale non sarà (che) un lungo calvario, difficile sarà rifare un edifico crollato ».

Acta diligentissime perquirenti, tantae, ac tam infallibiliter praevisae calamitatis (et proprie juxta praevisa — notetur — eventus subsecuti sunt!), non aliud apparet motivum, praeter quam dilectio illa extranea, qua Annam aestuare compertum fuerat: quae quidem dilectio, usque ad matrimonium et ultraperseverans, causa princeps extitit infelicitatis vitae coniugalis, huiusque dissolutionis.

Thesim hanc magis magisque confirmat factum illud vere mirum, secus inexplicabile, quod Dinus tales infaustas litteras *constanter servatas voluit currentibus non paucis vitae coniugalis annis:* si enim jucunde contubernium processiset, de plano tam ingrata

scripta destructa fuissent, et vel eorum memoria obliterata mansisset!

E) - Ideo, nec plene inellegi, nec ullo modo acceptari posse videntur sententiae appellatae verba haec: « ... Anna experiebatur non odium in Dinum, sed aversionem quamdam, non gravem quidem, ergo facilius, si oporteret, superandam. Revera post nuptias « eravamo rassegnati » tresque filii suscepti sunt. Vita autem conjugalis producta est per annos, notetur, undecim, eamque Anna abrupit non occasione mortis patris adoptivi, sed propter mores viri publice corruptos. Quae cuncta non redolent matrimonium cum gravi aversione sponsae a sponso ».

Respondetur: transeat quod Anna odium in Dinum non experiebatur.

Quid inde? Odium implacabile certe probationem juvasset, sed probatio, etiam sine tali odio, valide constitui potest.

At, quod aversio (non tam in Dinum — ut e complexu actorum patet — quam in matrimonium), levis fuisset ac facilius superari poutisset, negamus prorsus. Quam gravis fuerit et jam dicta, et infra adhuc dicenda, superabunde ostendunt. Nec umquam de facto superari potuit, neque ante matrimonium neque postea.

Utique deposuit actrix: « erano rassegnati ». Sed de tempore postnuptiali hoc dixit, i. e., de tempore illo, quo partes, nullitatem consensus ne suspicantes quidem, et ponderis dimittendi possibilitatem ignorantes, rem factam acceptandam et ferendam esse ducunt.

Nec, in casu, per undecim tantum annos, sed pro semper, forte, vita coniugalis perduravisset, nisi eam Dinus, per *publica*, ideo summe indecora, adulteria, eam maculavisset. Rursus dicendum est id probationi expotatae non proficere. Sed neque oppositae thesi: etenim, nemo tam leviter inducitur ad tectum familiare evertendum, et ad filios ab alterutro parente separandos, nisi eventus omnino cogens id jubeat, exigat. Maxime, ubi haec verba actricis in novissimo examine prolata, debite pensentur: « E' vero che ero rassegnata alla mia sorte, perché non c'era niente altro da fare; per lo meno, non vedevo né capivo cosa si potesse fare, e non pensavo neanche lontanamente che il matrimonio potesse essere nullo. La vita coniugale si è svolta come fra due estranei... Non è vero che l'infedeltà fu la causa della separazione, sebbene vi possa aver contribuito. Riconosco la mia parte di responsabilità, perché non sono mai stata unamoglie affettuosa ».

Ac denique: « ...riferendo i fatti a un sacerdote in confessione, fui consigliata ad iniziare una causa di nullità. Precedentemente, essendo conscia che non avrei potuto addurre fatti clamorosi o minacce subìte, ritenevo che questa causa non potesse farsi ».

Per quae, ni fallimur, et ratio sufficiens datur de vita communi tam protracta, et de prole generata, et de separatione instituta, et de causa nullitatis vinculi tam sero instaurata, omniaque rationaliter componuntur cum assumpto gravis aversionis in Anna, et violentae coactionis ex parte patris.

F) - Conceditur, in appellata sententia, quod Carolus Alcini fuit firma voluntate donatus, sed adiicitur: « saltem cum Anna et cum Dino non fuit nimis imperiosus, dure obstinatus, inexorabilis, prout nunc in judicio describitur ».

Et adhuc: « Neque, respectu Dini, Carolus fuit iste homo, qui nunc dicitur durus violentus. Nam, cum ille abrupisset sponsalia cum Anna, expectanda foret Caroli reactio; invehire debuisset in futurum generum, saevire, eum expellere ex operis quas conducebat. Nihil e contra horum egit, sed patienter curavit ne Dinus abiret, eique retulit puellae sensus suo quidem modo ecc. ».

Attamen, quidquid de Carolo Alcini unus vel alter testis, res forte ampliando, vel proprio libito referendo, dicere potuerit, considerandum venit quod Anna numquam patrem suum exnibuit ut violentum, vel excandescentiis et furoribus in quempiam insaevientem, multoque minus in eam et in Dinum. E contra, pinxit Anna hominem ab his summe ac totaliter alienum, i. e. hominem pacatum atque patientem, sed firmissimum: qui et agenda et omittenda a longe semper videt, pensitat, decernit, dein tenaci consilio persequitur usque ad exitum, nec hominibus nec rebus adversis umquam parcens, omnia debellans, nullo pacto deflectens. Ita cum filia, relate ad matrimonii negocium, quod gravissimum inter cetera cordi habebat, ita cum Dino se gessit. Non equidem ex dolo malo, i. e. deliberata voluntate jura aliena detrectandi — ut dedimus et concessimus — sed certo certius limites justitiae, non sat advertens, praetergrediendo. Optimo quidem ac simplici sermone rem actrix explanat in novissimo interrogatorio: « E' vero che mio padre era uomo di gran cuore, e che mai avrebbe preso sanzioni a mio carico. Ma era anche uomo col quale mi era impossibile discutere. Non alzava la voce, né faceva scene, *né con me né con altri*. Ma faceva ed attuava la sua volontà, e quel che aveva avanti agli occhi, senza guardarsi attorno. Così negli affari, così in casa. Mio padre... non mi diede ordini clamorosi, che non erano nel suo stile e nel suo carattere. Mio padre agì preparando e disponendo il matrimonio, senza curarsi del mio sentimento contrario ».

G) - Ex verbis, tandem, unius testis, qui deponit: « Anna mi disse che lei era stata una figlia obbediente al padre nel contrarre questo matrimonio », vel alius, qui habet: « Anna mi ha sempre detto che, se sposò Dino, lo fece unicamente per obbedire

al padre », indebite inducerëtur puellam simplicittr morem patri gessisse « ob rationes praeter quam utilitatis, etiam magnae affectionis ».

Nam, verba illorum testium veritatem indubie continent, non autem integram seu completam. Et, aliunde, iniquum esset expectare quod quis, semper, et quovis pacto, et quibuscumque, *integrum* animum aperire debeat, ab imis confitens id quod persensit, statuit, egit, etiam de motivis et scopis ad unguem rationem reddens. Verba supra relata, quae a citatis testibus in ore actricis ponuntur, non seiungenda sunt ab adiunctorum et circumstantiarum complexu. Ita in propatulo erit amorem filialem, pariterque reverentiam, obsequium, oboedientiam, id effecisse, quod Anna talis ac tanti patris indignationem ne quidem ut possibilem cogitare posset. Ergo, indignationem illam pertimescens, victima cecidit.

Solutis jam difficultatibus saltem praecipuis, quae ab appellata sententia in favorem vinculi adductae fuerunt, quaestio directe aggredienda erit de assumptorum mulieris probatione.

Primus, qui actricis assumptum, quoad substantiam, confirmat, certissime cum ea non colludens, reus conventus est.

Ante omnia, etiam a Dino apprehendimus quod ipse, in vicesimo primo aetatis anno constitutus, loco defuncti patris sui, tamquam socius operis a Carolo Alcini acceptatus fuit.

Secundo, quis Carolus fuerit quaeve Anna, Dinus, cum processualibus tabulis concinens, habili eloquio definit: « ...(Carlo) figlio di un macellaio, è venuto su dal nulla, si formò con la sua intelligenza, con la sua tenacia, con un lavoro serio e indefesso, una posizione finanziaria di prim'ordine. Era l'uomo che alle cinque del mattino aspettava il primo tram per recarsi al posto di lavoro, che col suo assolutismo, direi anche prepotenza, s'imponeva a chiunque...

Anche nei miei riguardi, nonostante il suo affetto per me, *era autoritario e intransigente... Nei confronti di Anna*, si mostrava molto affezionato, *tuttavia anche con lei era autoritario*, e, quando diceva una cosa, così doveva essere ».

Quae, sane, ubi insimul accipiantur et exigantur, et cum prolatis ab Anna comparentur (cfr. supra), eiusdem Annae *segregatio moralis* plene patebit: dilecta, usque ad insaniam, a patre naturali, qui zelotypia eam custodiebat, quique tamen in vanum tentabat ut consanguinei tamquam filiam suam eam reciperent et honorarent, puella haec, vel apertis insidiis vel glaciali indifferentia obruta, non alium, praeter Carolum, consiliarium, amatorem, ducem ac moderatorem umquam cognovit, nullumque, praeter quam in ipsum, refugium aut effugium invenire potuisset. De quo — ut nemo non videt — ratio maxima habenda erit in dimetiendo paternae coactionis pondere, in casu, filialisque trepidationis.

Tertio, a Dino habemus quod Carolus, nec alius quivis umquam, tectis antea verbis et circumscriptionibus utens, postea aperto sermone, ipsi Annam ut sponsum exhibuit. Quam Dinus libenter acceptavit.

Addit vero: « Come questa (proposta) venisse accolta da Anna, non saprei dire ». Et rursus: « Anna, prima del matrimonio, non mi manifestò mai i suoi sentimenti... Io notavo, però, quanto più s'avvicinava la data del matrimonio, un progressivo raffreddamento di Anna nei miei confronti ».

Per quae, liquido constat Annam partem nullam habuisse in sponsalibus nectendis, insuper dilectionis argumentum nullum sponso ante nuptias dedisse, quin imo, in dies evidentius, frigidi pectoris signa.

Quarto, venit ex parte Dini delatio secreti amoris Annae erga alium virum, et descriptio interventus matris, et abruptionis sponsalium, et, denique, collocationis Annae in Instituto Religioso in oppido Y., ad littus hadriaticum.

De collocatione huiusmodi, affirmatur in sententia appellata injuriam nullam, per id, puellae allatam fuisse.

Tenemus, e contra, in multis peccavisse patrem, mittendo filiam ad locum illum. Quod ex pluribus patet: I°) Non immerito filia de modo agendi patris conqueritur dicens: « E' vero che Y. era una bella residenza e che mio padre intendeva farmi rimettere in salute. Ma tutto ciò non era bello per me, né m'ineressava perché mi allontanava dal giovane che amavo. Non ho mai inteso dire che il babbo abbia commesso una crudeltà, inviandomi in una residenza così amena. Ma certamente non mi fece cosa gradita, anzi passò sopra ai miei sentimenti. Effettivamente ero molto disperata e avevo perso del peso a causa della mia contrarietà interna. *Il torto mio padre me lo fece non precisamente inviandomi a Y., ma separandomi dal M., contro la mia volontà, e non tenendo conto dei miei sentimenti* ». Et haec prorsus acceptabilia et rationabilia sunt. Aliunde, negocium totum perpendi debet non tam ex intentione patris, vel ex obiectiva loci amoenitate, quam ex interpretatione filiae. Hanc gravatam se persensisse propter non optatam ad ora nadriatica delegantiam, recenter testata est magnae auctoritatis testis, i. e. rev. Superiorissa illius religiosae domus: « Un giorno — deponit haec sanctimonialis foemina — volli chiaramente domandarle (i. e. Annae) conto della sua evidente freddezza (verso il padre). Mi disse che non era venuta per cambiar l'aria, ma perché suo padre aveva voluto allontanarla da un certo giovane, per nome Gino M., di cui era innamorata. Aggiunse che suo padre voleva darle in sposo un altro, e cioè Dino Amati, figlio d'un ingegnere che aveva lavorato nell'azienda Alcini e che era morto sul lavoro.

La ragazza appariva molto contrariata per questo, e mi diceva che con suo padre non c'era nulla da fare perché aveva questa idea fissa nella sua mente ».

In hoc, ergo, patris injustitia: in posthabendo, scilicet, sensus atque affectus filiae legitimos, et in imponendo, per amotionem et relegationem istam, eorumdem affectuum abruptionem.

2°) Nec satis: nam, actricis pater, contra jus et fas agendo, Dino referre ausus est « che Anna — ut Dinus in judicio declarat — pensava solo a me, aveva troncato ogni relazione col M., che desiderava il matrimonio con me, che era bene che mi decidessi, che dimenticassi la ragazzata della figlia ecc. ». Credidit incautus Dinus sollicitationibus istis, non autem mater eius. Ceterum, prudens quivis homo puellam adeundam curasset, ad animum eius directe explorandum.

3°) Inique, pariter, Carolus exclusum voluit Ginum M., pluries eum reiiciens, cum manum puellae requisivit. Ita agendo, nequaquam « prudenter » (ut tenet sententia appellata) egisse dicendus est.

Non enim erat juvenis ille ex quovis titulo indignus. De eo refert testis quidam: « A quanto seppi, (Gino M.) era una brava persona, ma che non aveva quei requisiti, che Carlo Alcini esigeva nel futuro genero per il proseguimento dei suoi affari ». Sed, haec « requisita » exigendi non tam ipsi spectabat quam Annae. Nec praetendi poterat quod Anna, in sponso eligendo et diligendo, rationem haberet de favendis, juvandis et prosequendis industriis et operis patris. Ginus ille, etsi laurea doctorali non dotatus, non tamen re familiari ac fructuoso munere carebat. Alioquin, Carolus vir erat, qui et illum, brevi, optimo modo collocare potuisset.

Quinto, pergit conventus in exponendo nimiam simplicitatem ritus nuptialis: qui hora insolita celebratus est, dum aliqui ad januam vigilabant « per paura che il M. facesse qualche cosa », et dum sponsa animi atque cordis frigus ostendebat.

Quae ipsa eadem, Florentiae, in nuptiali itinere, maritum deserere temptavit; dein invita matrimonium consummavit et invite constanter debitam reddidit; nexus cum Gino numquam intercoepit; ac tandem marito confessa est se, imponente patre, ad aras accessisse.

Etiam conventum esse fide dignum, non modo ex simplici et cohaerenti loquendi modo desumitur, sed et ex documentis, quae affert, et ex eo quod a fucatis et ab ampliatis abstinet: aliquando se nescientem exhibens etiam in iis, quae utilia reputari potuissent, et alias non omittens ea quae intentis minus prodesse videntur.

Si testium series trutinae subiiciatur, quamvis agnosci debeat testes directos de coactione deficere (etenim nemo colloquiis, patrem inter et filiam, praesens adstitit), simul tamen agnosci debebit a

pluribus, vel de visu, vel de auditu, elementa causae cardinalia plene confirmari.

De forma mentis et ingenio Caroli Alcini ait testis R.:

« Tale proposta (di matrimonio) partì dal padre Alcini... Anna dovette sottostare perché quando l'Alcini diceva una cosa, non ammetteva discussioni né repliche. Con tutti egli era autoritario: per quanto non s'inquietasse mai e salvasse sempre le forme, tuttavia nei suoi ordini, come nei suoi dinieghi, era duro, tenace, irremovibile: aveva il pugno di ferro, per quanto vellutato ».

Conveniunt in idem Josepha vid. Mani. Joseph Mani, Carolus Toni, Marius Francisci, et alii, nemine contradicente.

De amore fervido inter Annam et Ginum M., in actibus probationes tam abundant ut fere superfluum sit eas commemorare. Exortus in prima puellae adolescentia, utrimque alitus ac nutritus, ob patris puellae oppositionem non eversus sed auctus et firmatus, usque ad matrimonium Annae, et ultra, perseveravit (cfr. Coriolanus Monti, Joanna Monti, et praesertim Aemilius Borromeo, quocum reus conventus convenit.

De constanti ac invincibili Annae adversione in matrimonium cum Dino, ante celebrationem et postea, pariter testimonia univoca actis adquisita sunt. Sufficiat citasse Ennium Scali ac rev. Sor. Mariam Conceptam, quae, novissime, de Nostro mandato excussa, in judicium attulit illas intimas Annae confessiones, tempore illo, immediate nuptias praecedente, receptas. Et verba huius testis jam supra, adamussim, relata sunt.

Rimatis igitur attentissime tabulis, concludendum est cuncta et singula, i. e. sive estimonia, sive documenta, sive circumstantias, in unum idemque evincendum harmonice conspirare: h. e. aversionem Annae constantissimam in matrimonium de quo contorvertitur, non quidem, gratis jactatam, sed fundamento solido innixam, simulque coactionem patris, qui, firmus velut rupes, spretis filiae adhuc adolescentis propositis, sensibus, affectibus, infallibiliter sequens consilium suae mentis, sponsum pro ea elegit, quem ipsi eidem filiae, ac suae operae continuandae atque augendae, optimum habuit.

Quibus omnibus in jure et in facto perpensis, ad dubium: « Negative ad primam partem, affirmative ad alteram: seu *sententiam Rotalem diei 11 januarii 1955 esse infirmandam, et ideo constare de matrimonii nullitate, in casu* ».

Guillelmus Doheny
Petrus Mattioli, *Ponens*
Emmanuel Bonet

III

Coram R. P. D. Dino Staffa, *Ponente*

FLORENTINA

Nullitatis Matrimonii

Sententia definitiva diei 7 decembris 1956

(*De causa contractus matrimonialis*)

Species Facti. - Aloysia N. mense martio a. 1939 in Aloysium M. incidens, amore erga eum ita correpta est, ut frequentibus occursibus locum dederit, eius assiduitatem concupierit, ac tandem patri suo eum praesentaverit tamquam suam manum poscentem. Annuit parens, jam a filia praemonitus, huic petitioni, et iurgiis quibusdam non obstantibus tempore sponsalium ex ingeniorum diversitate exortis, die 24 iunii a. 1939 matrimonium celebratum est in paroecia S. Mariae.

Coniugalis convictus statim institutus, vix anno elapso ob mutuam partium aversionem cessavit, definitiva separatione quam civilis magistratus sanxit. Dein uxor Tribunal Ecclesiasticum adivit, vinculum nullitatis accusans ob exclusum a viro bonum Sacramenti.

Cum Iudices primi gradus, sententia diei 5 aprilis a. 1943 censuerint assertam nullitatem in casu esse probatam, appellante de jure Defensore Vinculi N. S. T., Nobis hodie decidendum est: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

In Iure. - Quia ubi « nulla subest causa, propter conventionem hic constat non posse constitui obligationem » (D. II, 14, 7, 4), causam matrimonialis contractus Theologi et Canonistae non omiserunt inquirere, docentes eamdem consensu constitui (Cfr. S. Thomas, *Summa Theologica*, Supplementum partis III, q. 45 art. 1; Th. Sanchez, *De S. Matrimonii Sacramento*, L. II, disp. I, n. 4 et disp. XXV, nn. 1-3; B. Pontius, *De Sacramento Matrimonii*, L. II, cap. 3, n. 8; Chr. Cosci, *De separatione tori coniugalis*, L. I, c. 16, n. 224; H. Henriquez, *Theologia Moralis*, L. XI de Matrimonio, cap. IX; D. Concina, *Theologia Christiana*, Tom. X, L. II, cap. II, quaest. III; et alios cit. a D. Staffa, *De conditione contra matrimonii substantiam*, ed. II, p. 7); hanc doctrinam Concilium Florentinum confirmavit. Idem edicit Codex J. C.: « Matrimonium facit partium consensus » (can. 1081, § 1). Tenendum est ergo causam contractus matrimonialis esse consensum, id est « actum voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus, perpetuum et exclusivum,

in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem » (can. 1081, § 2).

Dum tamen in hac causae contractus definitione potius attenditur elementum subiectivum, seu id ex quo contractus oritur et constituitur, plures inter hodiernos, notionem causae praebentes negotii iuridici in genere, magis considerant ipsius negotii elementum obiectivum vel finem, id nempe ad quod natura sua aut lege destinatur, propter quod natura sua aut lege constituitur et agnoscitur in iure ut efficax seu validum.

Conceptus causae hoc altero quoque modo expressus admitti potest, dummodo negotii obiectum essentiale et intrinseca ordinatio ad finem proprium negotii, sedulo distinguatur a motivo agentis seu fine extrinseco (quae distinctio haud perspicua est ex. gr. apud F. Carnelutti, *Teoria generale del diritto*, Roma, 1940, p. 347 ss.; P. Ciprotti, *Lezioni di diritto canonico*, Padova, 1943, p. 153).

Sive sub adspectu subiectivo sive sub adspectu obiectivo potius considereretur, causa proprie non afficit nisi essentialia, ita ut recte vocata fuerit « synthesis elementorum essentialium negotii » (E. Betti, *Teoria generale del negozio giuridico*, Torino, 1943, p. 134), nec quid valeant partes eidem detrahere, quin corruat negotium ipsum (E. Betti, *o. c.*, p. 120). Dum ergo sub priori respectu causa est ea quam vidimus, sub altero substantialiter differre nequit, seu esse non potest nisi mutua traditio et acceptatio iuris in corpus perpetuum et exclusivum in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem, cum obligatione non impediendi generationem et prolem educandi.

Ex his patet matrimonii causam ad coniugalis contractus essentiam pertinere, ita ut neutri contrahenti fas sit, quin totum negotium irritet, eam mutare, sive ius ad copulam perfectam, sive eiusdem iuris unitatem, sive ipsius iuris perpetuitatem negando.

In Facto. - Aloysius, indecisus ingenio nec resistendi capax, sicut Aloysiae blanditias non respuerat, etsi eam corde non amabat, ita supine toleravit declarationem, neque petitam neque exspectatam, qua pater puellae ei concedebat manum filiae: « così, aite ipse, mi trovai fidanzato, senza che io avessi fatto la richiesta e senza essere nemmeno stato in casa sua ». Cum autem ex intimiore cognitione indolis sponsae magis Aloysius timere coepisset ne matrimonio proxime ineundo fieret infelix, dissolutionem sponsalium primum illi proposuit, hac vero omni ope reiecta a puella, eam invitam deserere et matrimonium iam imminens recusare non est ausus, sive ne rumores excitarentur, sive ne matri suae displiceret, sive tandem ne

sponsae eiusque familiae odium in se converteret; cogitavit proinde de effugio sibi parando, quo vinculum coniugale excutere posset, si in futuro revera intolerabile evasurum foret. Obtulit ergo Aloysiae ut nuptiae duplici distinctio ritu celebrarentur, religioso nempe ac civili, ut divortio libertatem coram civili societate recuperare posset; sed respuit mulier et hanc propositionem. Tandem documentum vir exaravit, quo nupturientes sibi licentiam reservaverant divertendi si res male cecisset; et hoc mulier subsignare detrectavit; sed illud nihilominus apud notarium publicum deposuit Aloysius pridie nuptiarum, inscia sponsa, sub specie testamenti olographi.

Viri voluntas perpetuitati vinculi contraria nedum ab actrice asseritur et a viro convento, sed a fere omnibus testibus. Narrat inter alios Angelus B., testis celebrationis: « pochi giorni prima del matrimonio Luigi, aprendosi con me, mi dichiarò che a lui stesso il matrimonio che faceva sembrava uno sbaglio e quindi avrebbe voluto non farlo: aggiunse che si sarebbe sottoposto alla cerimonia nuziale senza entrare nello spirito di essa, e quindi con l'intenzione di ritenere non perpetuo il vincolo matrimoniale. Da parte del medesimo Luigi so che egli, prima di sposarsi, voleva fare una dichiarazione per iscritto che se il matrimonio non avesse avuto esito felice, lo considerava come non fatto, e voleva che la dichiarazione esistesse reciproca anche da parte della donna. E ciò da Luigi almeno fu fatto, perchè io stesso fui chiamato da lui come testimone alla consegna di tale dichiarazione, di cui prima mi fece prendere visione, al notaro A. Z. Mi pare che ciò avvenisse proprio il giorno prima delle nozze ». Post nuptias vero, sed tempore non suspecto, rem didicit quoque Aloysii mater, quae omnino verax apparet: « alla distanza di circa tre mesi dal matrimonio, mi disse esplicitamente che aveva sposato con quella intenzione, cioè di non considerarsi legato per sempre... e mi disse che prima del matrimonio, prevedendo il peggio, aveva già proposto a Luisella di fare il solo rito civile, con la speranza di potere in qualche modo poi essere liberi ambedue dal vincolo matrimoniale, ma che la sposa non aveva accettato. Le aveva proposto ugualmente di stendere un documento, in cui si dichiarasse che ambedue si consideravano liberi da ogni vincolo, nel caso che dopo le nozze non si fossero intesi. Ma Luisella non aveva voluto sottoscrivere. Ed allora aveva steso lui questo documento e lo aveva consegnato ad un notaro ».

In documento apud notarium A. Z. servatum, sub involucro in quo legebatur: « Mio testamento olografo », invenitur scriptum: « Io sottoscritto Luigi M. di Enrico mi impegno di restituire la piena libertà a mia moglie e di procedere ad annullamento o scioglimento del matrimonio liberandola da ogni legame civile e reli-

ligioso ad ogni sua richiesta. Rilascio tale dichiarazione dietro domanda della mia fidanzata, trattandosi di una condizione inderogabile che essa mi ha posto per contrarre matrimonio tra noi, non intendendo essa sentirsi obbligata in perpetuo a mantenere tale legame qualora non si dovesse andare d'accordo. Firenze. Luigi M. »: de authenticitate et tempore huius documenti nullum dubium haberi potest post nuper exhibitam plenissimam probationem.

Mirum primo ictu videtur quod in documento mulieri tribuatur intentio rescindendi vinculum coniugale, dum ex actis universis elucet hanc voluntatem esse viro imputandam. Difficultas tamen dirimitur circumstantiis quae exponuntur ab Aloysio: « Io avevo già compilato la dichiarazione stessa, contenuta nel documento in parola, come risulta dalla data che essa reca, ed era formulata in guisa che su di essa Luisella avrebbe dovuto stendere, con le necessarie varianti, correlativa dichiarazione e firmarla. Ciò che essa non volle fare. Allora io all'ultimo momento prima del matrimonio e precisamente la mattina del giorno di sabato, essendo, com'è noto, chiusi gli studi dei professionisti la sera di quel giorno, e dovendosi celebrare il matrimonio la mattina susseguente, consegnai al notaro A. Z. quel mio testamento, senza preoccuparmi di apportare alcuna variante e convinto che fosse efficace al fine che io volevo »: sane cum in instrumento voluntas ostendatur non ineundi matrimonium uti perpetuum, sed solubile ad arbitrium alterius contrahentis, eo ipso bonum Sacramenti tamquam positive exclusum habendum est. Iuxta quam intentionem vir, ut plures referunt testes, prolem quoque, excludere voluit, donec saltem de felici exitu coniugii crteus esset.

Quaeritur insuper curnam vir, qui licentiam divertendi sibi reservaverat, nihil contra vinculum fecerit, neque nullitatem Promotori Justitiae denuntiaverit.

Respondetur tamen hanc agendi rationem plene congruere cum indole viri, quam innuimus: « Veramente non mi sono mai preoccupato — ipse fatetur — di chiarire la mia situazione matrimoniale. Non nego che è nel carattere mio di vivere un po' alla giornata e di non pormi questioni che non mi interessino immediatamente. D'altra parte esiste un atto di separazione legale che regola le questioni pratiche più grosse tra me e mia moglie ». Praeterea, iuxta sententiam primi gradus: « vir conventus, si ipse causam nullitatis promovisset, timebat ne altera pars, post iudicialem nullitatis declarationem, actionem in se de damnis intenderet. Si e contra iudicialis actio de nullitate a muliere promovebatur, periculum de quo vir conventus timebat, aut evanescebat, aut minuebatur ».

Lata est sententia pro nullitate matrimonii.

IV

Coram R. P. D. Dino Staffa, *Ponente*

HIEROSOLYMITANA

Nullitatis Matrimonii

Sententia definitiva diei 22 februarii 1957

(*De validitate dispensationis ab impedimento consanguinitatis*)

Species Facti. - Duodevigesimum annum agebant Marius et Paula, ambo e familia N. N., cum die 7 februarii a. 1909 matrimonium inibant Betlehem, in ecclesia paroeciali ritus latini, obtenta prius a Patriarcha Latino Hierosolymitano dispensatione ab impedimento consanguinitatis in tertio gradu lineae collateralis aequalis.

Convictus coniugalis, nulla prole laetatus, gravioribus in dies discidis turbatus, finem habuit anno 1937, cum mulier maritum deseruit et a Tribunali Patriarchali separationem legalem postulavit. Hac quaestione adhuc pendente vir Tribunali supplicem libellum exhibuit, quo matrimonium suum nullitatis accusabat ob impedimentum consanguinitatis in tertio gradu aequali, contendens dispensationem a Patriarcha Latino ante nuptias concessam nullitate laborare ob vitium obreptionis.

Quia vero die 2 martii a. 1949 Tribunal Patriarchale edixit dispensationem validam fuisse, Nobis hodie, post diuturnas moras a disceptatione et definitione causatas de quaestione incidentali separationis, decidendum est: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

In Jure. - « Promulgandi Pontificias Constitutiones ac leges non idem semper decursu temporis in Ecclesia Catholica fuit modus; a pluribus tamen saeculis consuetudo invaluit, ut earum exemplaria publice proponerentur frequentioribus quibusdam Urbis affixa locis, praesertim ad Vaticanae ac Lateranensis Basilicae valvas. Quae autem Romae, tamquam in christianae reipublicae centro et communi patria fidelium, promulgarentur, ea ubique promulgata censebantur, vimque legis plenissimam obtinebant. Verum, quum promulgandae legis ratio et modus a legislatoris voluntate pendeat, cui integrum est constitutas innovare ac moderari formas, aliasque pro temporum et locorum opportunitate sufficere; idcirco factum est, ut, vel anteactis temporibus, non omnes Apostolicae Sedis leges ac Constitutiones, memorata forma, hoc est consuetis Urbis affixae locis promulgarentur. Recentius, sacrarum praesertim Congregationum opera, quibus Romani Pontifices, ad leges jam latas declarandas aut ad novas constituendas, utebantur, id fere in consuetudinem venit, ut acta Sanctae Sedis eiusque decreta, in Officio a

secretis a quo edita essent legitima auctoritate vulgata, hoc ipso promulgata haberentur » (Const. *Promulgandi* diei 29 septembris a. 1908, *A.A.S.* vol. I, p. 5).

Merito proinde affirmari potuit: « Ultimis temporibus ante Codicem, opinio erat communissima, paucis dissentientibus, nullam dari vacationem in lege pontificia ne irritante quidem » (A. Van Hove, *De Legibus ecclesiasticis*, p. 140), prout confirmatur responso S. C. de Religiosis diei 30 julii a. 1909 (*A.A.S.*, vol. I, p. 699).

Constitutione *Promulgandi* nova disciplina quoad modum promulgationis inducta est, quae tamen vigere coepit, ut in eadem legitur Constitutione, « ineunte proximo anno MDCCCCIX », ideoque non respiciebat leges antea promulgatas.

Jamvero *Ordo servandus a S. Congregationibus, Tribunalibus et Officiis Curiae Romanae* editus est una cum Constitutione *Promulgandi*, id est die 29 septembris a. 1908, et speciali mandato S. Pii X accessit Constitutioni *Sapienti Consilio* diei 29 junii a. 1908 ac *Ordinationi communi* eodem die publici juris facto (*A.A.S.*, vol. I, p. 108; *Fontes C. J. C.*, vol. VIII, n. 6460, p. 535). Quapropter *Ordo servandus* sicut eandem vim (cfr. ibid.), ita eandem vacationem habuit ac Constitutio *Sapienti Consilio*, ideoque sicut ipsa obligare coepit « a die III mensis novembris MDCCCVIII » (*A.A.S.*, vol. I, p. 8).

Ordo servandus editus est etiam a. 1909 in *Actis Apostolicae Sedis*, non autem promulgationis, sed utilitatis causa, sicut et ipsa Constitutio *Promulgandi*.

Ordo servandus (Pars altera, Normae peculiares, cap. VII, art III, n. 19 et n. 21 - *A.A.S.*, vol. I, p. 91 -) decernit dispensationem ab impedimentis gradus minoris non irritari obreptione vel subreptione, prout postea sancitum est can. 1054 C. I. C.

Cum dispensatio in casu a Patriarcha concessa fuerit die 8 januarii anni 1909, actoris Patronus contendit hoc factum esse tempore vacationis *Ordinis servandi*, quae vacatio, iuxta L. Ferraris (*Bibliotheca*, v. *Lex.*, n. 5), duos menses perdurabat, ideoque dispensationem invalidam fuisse ob defectum causae canonicae, ad normam Instructionis S. C. de Propaganda Fide diei 9 maji a. 1877 (*Fontes C. J. C.*, vol. VII, n. 4890, p. 459).

Respondetur, iuxta sententiam tempore concessae dispensationis communiter receptam, bimestre vacationis non fuisse necessarium; etsi vero necessarium fuisset, non duos sed plures menses decurrisse inter publicationem *Ordinis servandi* et concessionem gratiae. Quod vero peculiariter spectat validitatem rescripti dispensationis ab impedimento minoris gradus, obreptione vel subreptione minime obstante, jam *praxi Apostolicarum dispensationum Data-*

riae Apostolicae anni 1902 decretum fuerat: « *Sine causa* etiam, sine *speciali* aliqua causa, dispensatio datur in gradibus remotioribus ob causam boni publici, Pontificis animum moventem. Publico enim bono expedit in praesenti faciliora reddere matrimonia » (p. 26, n. 130).

Dispensatio a minore impedimento, nullo obreptionis vel subreptionis vitio irritatur, sive ab Apostolica Sede sive ab inferioribus concedatur: nulla enim in can. 1054 distinctio fit (cfr. F. M. Cappello, *De Matrimonio*, ed. a. 1947, n. 277, 5); « confirmatur doctrina in can. 2361, qui a poenis ferendis contra illos qui in precibus dolo vel fraude verum reticuerint aut falsum exposuerint eximunt preces ad rescriptum obtinendum non tantum a Sede Apostolica sed etiam ab Ordinario loci, in materiis de quibus in can. 45 et 1054 agitur » (A. Van Hove, *De Rescriptis*, n. 163).

Inferior dispensans, etsi rescripto clausolam seu conditionem apponat « si vera sint exposita », dispensationem a minore impedimento non reddit invalidam quoties obreptio vel subreptio subsit: jus enim commune, cui praelati inferiores obtemperare debent, decernit huiusmodi dispensationem nulli oppugnationi sive obreptionis sive subreptionis obnoxiam esse (*Ordo servandus*, Pars altera, Normae peculiares, cap. VII, art. III, n. 21); antequam vero haec norma sanciretur *Ordine servando* vel can. 1054, inducta erat, ut vidimus, praxi Romanae Curiae, iuxta quam pariter inferiores se gerere debent: delegatus enim subiicitur voluntati delegantis. Delegantis autem voluntate dispensatio in impedimento minore semper valet, etiamsi exposita sint falsa, quia semper adest causa sufficiens dispensandi, id est dispensationis petitio.

Tandem: « dispensatio in dubio de sufficientia causae, iuxta antiquam, communem ac constantem doctrinam (cfr. e. gr. P. Laymann, *Theologia Moralis*, L. I, tract. IV, c. 22, n. 12; S. Alphonsus, *Theologia Moralis*, L. I, tract. 2, n. 192; J. D'Annibale, *Summula Theologiae Moralis*, pars. I, n. 231) valida est. Post concessam dispensationem, in dubio de celebrati matrimonii valore, pendente a validitate dispensationis, haud semel jurisprudentia N. S. T. monuit: « Juris praesumptionem quae iubet omnem actum praesumi recte factum, donec evidenter contrarium evincatur, extendi etiam ad causas dispensandi, quae adfuisse praesumuntur morali modo consideratae, nisi contrarium probetur » (Decisio S. R. Rotae diei 23 martii a. 1956).

In Facto. - Recte Defensor vinculi deputatus animadvertit solutionem praesentis quaestionis potius a principiis juridicis pendere, quam a veritate causarum.

Quod Marius et Paula, ambo fideles ritus latini, impedimento

dirimente consanguinitatis tertii gradus aequalis adstricti essent. constat e documentis nulli dubio obnoxiis. Certum est insuper impedimentum istud rescripto Patriarchae Hierosolymitani diei 8 ianuarii a. 1909 dispensatum fuisse, vi facultatis quinquennalis eidem a Summo Pontifice concessae die 12 augusti a. 1904. Dispensatio concessa fuit ob causas canonicas in instantia expositas, id est: a) « ob angustiam loci relativam, quia fere omnes familiae huius paroeciae inter se consanguinitate sunt coniunctae »; b) ob paupertatem puellae.

Prout in jure diximus, jam ab anno 1902, iuxta praxim Romanae Curiae, nullo obreptionis vel subreptionis vitio irritari poterat dispensatio ab impedimento minori, prout erat consanguinitas in tertio gradu. In casu autem de quo agimus, vigebat etiam *Ordo servandus* die 29 septembris a. 1908 promulgatus.

Etsi vero causa aliqua requisita fuisset, praesumendum est parochum, qui preces ad Patriarcham misit, motiva vera et sufficientia aestimavisse. Sponsa enim erat pauper, iuxta notionem traditam a S. Poenitentiaria Apostolica die 20 ianuarii a. 1904, quia cum matre sua de proprio labore vivebat, ut plures testes affirmant.

Ait Patronus actoris paupertatem puellae numquam inter causas canonicas recenseri, dum e contra invenitur paupertas viduae; neque pro deficientia aut incompetentia dotis sumi posse, quia in Palaestina numquam sponsae dotem secumferebant, cu m constans et immemorabilis vigeret consuetudo, vi cuius e contra sponsus sponsae dabat « feid » (ita vocabatur pecuniae summa quam pater sponsi solvebat patri sponsae). Respondetur tamen enumerationes causarum quae in documentis quoque pontificiis inveniuntur, non esse taxativas (cfr. Decisio citata S. R. Rotae, diei 23 martii a. 1956); dotem autem non solum pro dote stricto sensu esse accipiendam, sed pro bonis fortunae, quibus onera matrimonii sustineri possint, et quibus mulier conventa carebat.

Angustiam loci relativam, quam pro sua conscientia veram parochus putavit, quamque Patriarcha non respuit, etsi locum absque dubio cognosceret, tuto falsam vocare non possumus: paupertate enim in qua puella versabatur difficiliores eidem reddebantur nuptiae in parvo pago vel oppido prout erat Betlehem.

Tradit quidem conventa: « dodici ricchi uomini... e tra di loro dei ricchissimi, ... mi domandarono ad ogni costo... e non erano né parenti, né affini... », sed haec assertio, quae magis jactantiam sapit quam veritatem, vix credi potest. Ceterum mulier ipsa animadvertit: « mia madre non amava di darmi a gente che voleva andare in America »: etenim, quia plures emigrabant: « v'era una mancanza di giovani », testatur Melchisedech N.

Lata est sententia pro validitate matrimonii.

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

AN MATRIMONIUM CONSUMMETUR ACTIONE TANTUM HOMINIS.

Sacra Scriptura, de matrimonio statuens, pluries commemorat unitatem corporum seu « unam carnem », quam vir et uxor, actu sexualis coniunctionis, adipiscuntur: sic Genesis Liber [1], sic Sancta Evangelia [2], sic Apostolus quoque [3]. Sed ne verbum quidem facit de consensu in consuetudinem vitae coniugalis, a quo matrimonium reapse initium capit [4], eoque minus de consensu in copulam.

Mente attenta qua Sacri Scriptores ducebantur, mirum non est quod factum naturale dumtaxat seu copulam praedicaverint, omnino morale seu consensum neglegentes. Non enim docere studebant quomodo matrimonium fieret, sed tantum significare quare et quam firmiter coniuges alter cum altero colligarentur.

Perdiu tamen imago unius carnis praestitit, imo sola animos allexit, fructus uberes procul dubio depromens in provincia morali, dubia vero relinquens in iuridica. Ideo per multa saecula post novam Legem prolatam dubitatum est utrum matrimonium fieret consensu an commixtione sexuum, et saeculo XII erronea « copula theoria » praevaluit, S. Ivone Carnotensi [5] ipsoque Gratiano [6] auctoribus. Et nunc, quamquam undique conclamata natura consensuali nuptialis foederis, imago illa resistit quoad consummationem matrimonii et efficit ut haec in commixtione tantum sexuum consistere dicatur.

Nam Doctores duo elementa invenientes ex parte hominis ad matrimonium efformandum et perficiendum, spirituale nempe, quod intellectum et voluntatem respicit, et materiale, quod consummationem, hoc alterum in unitate carnis tantum ponere non dubitant.

At huiusmodi conclusionem considerare malumus quam amplecti: nam, cum copula sit actio ab homine posita et homo sit sua natura rationabilis, arduum et fere impossibile apparet separare actionem a causa rationali et seiunctam percensere.

---

[1] *Genesis*, 2, 24.

[2] S. Matthaeus 19, 1-9; S. Marcus 10, 2-12.

[3] S. Paulus, *Ephes.* 5, 31.

[4] Considera vero Rebeccam interrogatam esse de nuptiis cum Isaac contrahendis: *Genesis*, 24, 57-58.

[5] S. Ivo, *Panormia*, lib. VI, capp. 14-17, in Migne, Patrologiae cursus completus - Series secunda (Eccl. lat.), tom. 161, Parisiis 1855; *Epist.* 99, in Migne, *ibid.*, tom. 162, Parisiis 1889.

[6] *cc. 28, 29, 34, 35, 36, 45 C. 27 q. 2.*

Ideo decet sedulo perpendere quousque una caro consideranda sit sub aspectu mere physico et nosmet interrogare num in ea reperiatur aliquid voluntarii et quanti idem faciendum sit. Nobis ita meditantibus melius forsitan patefiet unitas carnis, eo magis una quo magis consensu animi effecta et propria hominis et alia ac beluarum copula, ita ut explicetur illud S. Leonis Magni « nuptiale mysterium » [7].

Opposuerit aliquis quaestionem non amplius agitandam esse post responsum Supremae Congregationis S. Officii die 2 februarii 1949 datum [8]: nam Doctores, etiam vi huius responsi, communiter affirmant consummationem matrimonii « postulare tantum factum externum copulae naturalis » [9].

Nos tamen, cum censeamus responsum, quod undique nunc invocatur ad confirmandam naturam mere physicam consummationis, ipsum novam sternere viam elemento morali rectius considerando, quaestionem aperte proponere non dubitamus.

I

Priusquam argumentum nostrum ingrediamur, duos S. Scripturae locos breviter attendere opus erit.

A) « Una caro », ex acceptione quae omiletice fieri solet, plus est quam commixtio sexuum, cum significet individuam communionem vitae, quae commixtione sexuum inter coniuges instauratur, quasi post copulationem caro maneat una, nec amplius bipertiatur, et coniuges rem iterum inter se habentes denuo una caro non fiant, cum iam unitatem adepti sint.

Sed, ita accepta, « una caro », ni fallimur, est locutio redundans: nam eidem non cohaeret ulla veritas sive physica sive moralis. Non physica, quia copula est factum transiens et uterque coniux servat corporis authonomiam; non moralis, quia copula non inducit, per se, unionem aliam ac corporum.

---

[7] *c. 17 C. 27 q. 2.*

[8] V. notas 82 et 86.

[9] Cappello, *Tract. canonico-moralis de Sacramentis*, vol. V, *De Matrimonio*, Taurini-Romae 1950, n. 383, ubi sic, cum communi, solvit quaestionem: « Nuptiae ineuntur per consensum matrimonialem, qui natura sua est *actus humanus* vere et proprie dictus, ideoque necessario exigit sufficientem mentis discretionem seu perfectum usum rationis. Consummatio matrimonii, e contra, postulat tantum factum externum perfectae copulae naturalis, sive haec fiat per actum humanum sive alio modo, sive libere ac scienter ponatur, sive coacte et inadvertenter, sive iuste sive iniuste. Quare coniux in statu ebrietatis consummare valet matrimonium. Haec omnia confirmantur responso S. Officii, 2 febr. 1949 ». Ante hoc responsum redditum necnon ante Codicem editum non alia erat Doctorum sententia: cfr. Wernz, *Ius Decretalium*, tom. V, Romae 1904, pag. 30.

Reapse pluries S. Scriptura praedicat unam carnem, sed alio atque alio fine proindeque non una significatione. Procul dubio Adam, costa orbatus, unam carnem ad verbum sentiit et super eadem adstruxit legem primam de matrimonio [10]. At iam in Evangelio unitas illa apparet historica imago, qua, contra Pharisaeos tentantes, Dominus noster utitur [11] ad negandam pravam, quam Moyses toleraverat, legem divortii [12]. Denique, magis adhortans quam praecipiens, S. Paulus carnem unam recordatur velut argumentum morale ad suadendum mutuum inter coniuges amorem [13].

His locis perpensis, locutio « unius carnis » extenuatur et clarescit [14], cum videatur potius admonere coniuges de antiqua communi origine utriusque corporis et de maximo intimitatis gradu quem copula peracta obtinent. Non potest neque debet intelligi ad litteram, secus inexplicata manerent verba Apostoli affirmantis virum rem habentem cum meretrice carnem unam cum eadem effici [15]. Quare nobis videtur unitatem carnis unum et idem esse ac simplicem copulam ideoque nullos alios parere effectus ac eos copulae proprios. Vir qui meretricem cognoscit cum eadem unum corpus efformat, non aliter ac vir qui uxorem: alter peccat, alter officio suo fungitur: ibi peccatum, hic nuptiale ministerium. Sed utroque actu, S. Scriptura testante, efformatur una caro.

Ergo una caro habenda est lucida imago qua plus minusve usi sunt theologi, in sequelam S. Scripturae, ad significandum quantopere coniuges inter se cohaerent et ad magnificandam hanc cohaesionem [16]; sed per se nihil aliud exsistit quam copula, ita ut tanti fiat quanti animus agentis consentiat.

---

[10] *Genesis*, 2, 23-24: « Dixitque Adam: hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea; haec vocabitur virago quoniam de viro sumpta est, quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una ». Commentatur Lesêtre, *Mariage*, in *Dictionnaire de la Bible*, Paris 1928: « Il importe peu... que cette formule soit d'Adam lui-même ou de l'écrivain sacré; dans l'un et l'autre cas, elle représente la pensée de Dieu et constitue la loi du mariage ».

[11] S. Matthaeus 19, 3-9; S. Marcus 10, 2-12.

[12] *Deuteronomium* 24, 1-3.

[13] S. Paulus, *Ephes.* 5, 31.

[14] Ceterum illa Adam locutio de ossibus communibus ac de una carne multo magis extenuatur si considerentur verba quibus Laban salutat Iacob nepotem: « os meum es et caro mea »: *Genesis*, 29, 14; et Israël David regem acclamat: Os tuum sumus, et caro tua: I Paralip. 11, 1.

[15] S. Paulus, *Ia Corinth.* 6, 16: « An nescitis quoniam qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur? *Erunt* enim (inquit) *duo in carne una* ».

[16] Lesêtre, *loc. cit.*, explicat: « ...de sort qu'on ne puisse séparer l'homme de la femme sans un'opération barbare, comme celle qui consiste à trancher la chair de quelqu'un ».

Quod sentienties ceterum Glossam sequimur, quae absque ambage docet unam carnem nisi fictionem iuris exsistere, ut infra videbimus.

B) Auctore S. Paulo, matrimonium adumbrat unionem Christi cum Ecclesia [17]. Quodnam matrimonium? Patet tantum consummatum, cum tantum consummatione matrimonium adipiscatur indissolubilitatis notam, quae invenitur etiam in unione illa [18].

Quoniam vero unio Christi cum Ecclesia suavitate ac mutuo amore eminet, necessario secumfert scientiam, voluntatem, libertatem. Ergo matrimonium consummatum, quod illius unionis speciem induit et iisdem notis fruitur, esse non potest nisi coniuges sciente et libera voluntate in consummationem consenserint [19].

Ex quo sequitur ut non quaevis commixtio corporum inter coniuges habita consummet matrimonium, sed ea sola quam comitatur voluntas, saltem sciens, viri et uxoris inter se rem habentium. Quia sine scientia et voluntate, sicut nullum peccatum inter solutos, sic nullus moralis effectus inter ligatos.

II.

Nunc deveniendum ad os quaestionis, cui pro suscepto munere respondere tenemur.

Quoniam « ex radice moralitas diffunditur in totum ordinem iuridicum » [20], quaestio nobis videtur imprimis delibanda in mo-

---

[17] S. Paulus, *Fphes.* 5, 22-32.

[18] *c. 7 X 3, 32:* «Sane, quod Dominus in evangelio dicit, non licere viro, nisi ob causam fornicationis uxorem suam dimittere, intelligendum est secundum interpretationem sacri eloquii, de his quorum matrimonium carnali copula est consummatum, sine qua matrimonium consummari non potest, et ideo, si praedicta mulier non fuit a viro suo cognita, licitum est (sibi) ad religionem transire» (Alexander III *Brixiensi Episcopo*). Hoc Doctores pro certo habuerunt.

[19] Ioannes Andreae, *In quintum Decretalium Librum Novella Commentaria - In titulum de Regulis Iuris Commentarii,* - Venetiis 1581, Reg. 64 n. 5: «Consummatio matrimonii carnalis est sacramentum coniunctionis Christi cum Ecclesia ...debet esse voluntaria, sicut fuit illa, cum non legamus, Christum vel Apostolos tradidisse violenter gentiles ad fidem»; Reiffenstuel, *Ius canonicum universum,* Lib. III Decret., tit. 32, n. 7: «Quia matrimonium consummatum repraesentat unionem Christi cum Ecclesia et sortitur iure divino indissolubilitatem, ergo per eam solam copulam consummatur matrimonium, quae potest hanc unionem repraesentare ... sed talis est sola copula voluntaria, cum unio Christi voluntaria fuerit». Ceterum notio consummationis scienter et volenter perficiendae satis communis exstitit omnibus temporibus. Inter veteres Doctores, eos cfr. quos, licet partim dissentiens, citat Sanchez, *De Sancto Matrimonii Sacramento,* Norimbergae 1706, Lib. II, disp. 22 n. 3.

[20] Graneris, *Philosophia iuris,* vol. I, *De notione iuris,* Taurini-Romae 1943, pag. 89. Vid. etiam Wernz-Vidal, *Ius canonicum,* vol. I, Romae 1938, pag. 168.

ralibus, id est relata ad actum humanum, quasi respondendum foret dubio num consummatio matrimonii huiusmodi actum requirat.

Sed consummatio matrimonii implicat notionem omnino iuridicam, de qua infra, cum in provincia morali exstet copula tantum una cum notis moralitatis sui propriis. Quaestio ideo poni potest nonnisi quoad copulam.

Quamvis ius positivum loquatur de consummatione relate tantum ad matrimonium et delicta, moralistae tamen verbo utuntur etiam relate ad copulam, sive licitam, sive illicitam, quoties eam perfectam putant ideoque aptam ad effectus quosdam gignendos. Et nos, hunc usum sequuti, hic quaestionem ponimus: « an consummatio copulae, cum suis effectibus, tunc tantum habeatur si utrimque humano modo peracta ».

Responsio affirmativa liquet, quia communi sententia unusquisque praestat actus tantum quos ponit humanos [21]. Sed cum quaestio ansam praebeat dubio an ex communi sententia excipienda sit copula, tamquam si factum physicum pluris habendum sit quam animus agentis [22], decet nos nonnulla explicanda addere et quae sequuntur enodare difficultates.

Causa et effectus ad invicem componuntur et iusta proportione ligantur. Causam materialem sequuntur effectus ordinis materialis, causam moralem effectus ordinis moralis. Et hi duplicis generis sunt prout actus ab agente positus consideretur relate ad eundem agentem, et habetur imputabilitas, vel ad alterum, et habetur responsabilitas [23].

Imputabilitas, qui primus exstat moralis effectus, est in se morale iudicium, quo actus quidam merito aut culpae tribuitur agenti. Sed, Angelico docente, « tunc tantum actus imputatur agenti, quando est in potestate ipsius, ita quod habeat dominium sui actus » [24]. Unde, si agens caruit intellectu vel voluntate vel liber-

[21] S. Thomas. *Summa theologica*, 1, 2 q. 1, art. 1: « Illae solae actiones vocantur proprie humanae quarum homo est dominus: est autem homo dominus suarum actionum per rationem et voluntatem. Illae ergo actiones proprie humanae dicuntur, quae ex voluntate deliberata procedunt »: S. Alphonsus, *Theologia moralis*, tom. II, Romae 1907, Lib. V, preamb. n. 1: « Ut actio sit humana et moralis necesse est, ut intelligatur et libere agatur; utrum ubi deest vel propter ignorantiam involuntariam vel propter coactionem potius mechanica quam moralis dicenda est ».

[22] Perperam suggestivae hic sententiae fontium romanarum: « Plus enim est in re, quam in existimatione » *L. 4, 1 D. 40, 2*: « Plus valet quod in veritate est, quam quod in opinione » Inst. 2. 20. 11. Nam aliam rem moderabantur.

[23] Cathrein. *Filosofia morale* (e germanico in italicum translatum), Firenze 1913, vol. I, pagg. 93 seqq.

[24] S. Thomas, *op. cit.*, 1, 2, q. 21, art. 2. Eodem loco Angelicus addit: « Unde relinquitur quod bonum et malum in solis actibus voluntariis constituit rationem laudis vel culpae ».

tate, causa morali deficiente nullum morale iudicium exstat, ideoque nec meritum nec peccatum. Copula ergo est imputanda agenti tantum si posita humano modo [25].

Responsabilitas, quae agentem devincit aliquo modo alteri personae, sequitur et supponit imputabilitatem, ita ut non adsit nisi agens posuerit actum humanum. Ergo, vi copulae non deliberatae, quo modo agens non fit imputabilis, eodem, imo a fortiori, non fit responsabilis: proindeque non sequuntur effectus [26].

Obiecerit aliquis:

1) copulam procedere a principio intrinseco naturali ideoque effectus descendere iubente natura, id est neglectis facultatibus quae sunt propriae hominis. Respondemus: effectus profluentes e copula qua facto naturali sunt ordinis naturalis; effectus ordinis moralis non habentur nisi a facto quod secumferat iudicium morale, id est ab actu humano. Ad rem nostram quod attinet, principium intrinsecum naturale bene invocatur quoad bruta animalia, perperam vero quoad hominem, cum actus quoque natura impulsi si ab iis ponuntur simpliciter naturales dicendi sint, si ab homine rationales, saltem per participationem [27], dummodo recte positi sint, secus irrationabiles.

2) copulam coniugalem esse actum debitum, ideo quo animo perficiatur non interesse. S. Alphonsum sequentes, respondemus: « Cum lex detur hominibus, non brutis, ideoque humano modo sit implenda; hinc impletio omnis praecepti, sive humani, sive divini, debet esse actus humanus, conjunctus cum libertate et voluntate operantis, id est ut velit sive intendat facere quod est praeceptum » [28]. Quod magis magisque est tenendum quoad actiones iussu legis personaliter ponendas, quae proinde non hominis, sed humanae esse debent [29]. Quamvis actus debitus, copula hoc principio non eripitur.

---

[25] S. Thomas, *op. loc. citt.*, q. 18, art. 6: « ...neque actus exteriores habent rationem moralitatis, nisi in quantum sunt voluntarii ».

[26] Praeter Cathrein, loc. cit., vid. Piscetta-Gennaro, *Elementa theologiae moralis*, vol. I, Taurini 1922, pagg. 28-29, ubi explicite agitur non modo de actu imputando agenti, sed de effectibus eidem imputandis.

[27] S. Thomas, *op. loc. citt.*, q. 24, art. 1: « Etiam inferiores vires appetitivae dicuntur rationales secundum quod participant aliqualiter rationem, ut dicitur in 1 Ethic, cap. 13 ». Vid. etiam Cathrein, *op. loc. citt.*, pag. 76.

[28] S. Alphonsus, *op. cit.*, tom. I, Romae 1905, lib. I, n. 165.

[29] Fanfani, *Manuale theorico-practicum theologiae moralis ad mentem D. Thomae*, tom. I, Romae 1950, pagg. 262-263: « Si lex praecipit praestationem realem, id est praestationem alicuius rei, legi plene satisfit praestando rem debitam, quomodocumque hoc fiat, etiam per alium... Si vero lex praecipit actionem personalem, tunc ad satisfaciendum legi plures requirunt conditiones, videlicet: ut actio *per seipsum* ponatur, *modo humano, honesto, tempore debito*, et etiam *cum in-*

3) hominem praestare copulam, vel saltem primam coniugalem copulam, id est de eadem respondere, non qua imputabilem, sed obiectivo modo. Respondemus: responsabilitas obiectiva, quam vocant, est quaedam fictio iuris quae adstruitur lege humana positiva ut determinati effectus obtineantur, sed non est in rebus; ideoque extra legem illam non est exquirenda, et legem moralem prorsus effugit.

Quodsi huiusmodi responsabilitas descendere dicatur ex eo quod matrimonium claudicare non possit, facilior esset responsio: omnes actus qui concursum duorum subiectorum requirunt, et ipsum matrimonium, ad nihilum recidunt nisi utrimque positi, secus apage concursum: actus unius subiecti, necessarius non sufficiens, corruit nisi actu alterius compleatur, qui sit absque vitio irritanti; ad rem S. Alphonsus docuit impedimentum criminis non contrahi si pars soluta ignoret se rem habere cum coniugata [30]. Ergo, perinde ac quivis actus bilateralis, copula habenda est non consummata nisi utrimque posita sit, nuptiali foedere minime obstante.

Age nunc: sicut actus omnes praesumendi sunt proprie humani, quia non explicaretur curnam homo intellectu et voluntate donatus sit nisi iisdem uteretur in actibus ponendis, et effectus morales tantum ea lege descendunt [31], ita et copula praesumitur humano modo utrimque peracta et qua talis habenda est pro consummata cum omnibus effectibus sui propriis. Quodsi praesumptio vincatur quia alter agentium caruit intellectu vel voluntate, id est non egit humano modo, iam copula impar est effectibus moralibus gignendis qui sint utriusque partis communes; secus effectus dicendus esset superare causam, quod est absurdum.

Hucusque diximus de consummatione copulae unitarie sumpta, eam intelligentes qua factum unicum quod moraliter aut adest aut deest. Sed saepe moralistae verbo utuntur relate ad actionem alterius subiecti, ut ostendit S. Alphonsus loquens de copula « ex utraque parte consummata » [32]. Hac significatione recepta, sane quaestio de qua ne ponitur quidem cum clarius evadat consummationem interesse hoc casu alterutrius partis tantum et effectus

---

tentione faciendi opus qualiter est a lege praescriptum... *Modo humano*, id est scienter et libere: sane leges, utpote hominibus impositae, ad eorum perfectionem et mentem, non actiones quascumque, sed actiones humanas postulant, idest scienter et volenter positas; maxime si de lege affirmativa agitur: negativis enim etiam per involuntariam omissionem satisfit ».

[30] S. Alphonsus, *op. cit.*, tom. IV, Romae 1912, lib. VI, n. 1036.

[31] S. Thomas, *op. cit.* 1, 2, q. 58, art. 2: « Omnium humanorum operum principium primum ratio est ». Cfr. etiam 2, 2, q. 17, art. 1.

[32] S. Alphonsus, *op. loc. citt.*, n. 1075.

communes utriusque descendere, in hypothesi, e duplici consummatione.

Nostra vero refert locum hunc patefieri: nisi utraque pars scienter in copulam consenserit, effectus morales utriusque communes deesse. Si altera tantum consenserit, adest iudicium morale (praeter quam iuridicum) de actu ab eadem posito, at seclusis effectibus moralibus relate ad alteram partem, quae quippe nesciens vel nolens effugit iudicium morale. Dari potest, et crebro datur, quemdam laedi ab actu alieno, sed dari non potest eundem laturum esse effectus morales eius actus [33].

Haec omnia patefiunt, sed satis non sunt. Quoniam ius, si par sit suis muniis obeundis, praecepta moralia adaequare tenetur, si fieri possit, vel saltem pro viribus sequi, hinc lumina moralia afferre necessarium duximus. Sed norma moralis, consistens tota in dispiciendis et iudicandis actionibus humanis, statuit quid liciti, quid illiciti sit in eis [34], cum nostra intersit distinguere quid validum, quid non, et praeter singulas actiones iudicare relationes inter plura subiecta, et actum ab iisdem positum unico subicere iudicio de validitate: quod est iuris proprium. Consequitur ut lumina illa non sufficiant et res consideranda sit sub aspectu iuridico. Transeamus ideo in provinciam iuris.

III.

In limine huius provinciae sententiae veterum Doctorum utiliter considerandae veniunt. Hi tamen non amplius quam recentes rem animadverterunt.

Apud Decretistas quaestio non videtur agitata esse, sed etiam tempore illo non desunt de unitate carnis opiniones, quae, etsi indirecte, ad rem nostram faciunt. Nam Glossa, ut iam innuimus, unam carnem inter virum et uxorem definire non dubitat « fictionem iuris », explicite profitens unitatem non adesse nisi in communi opere carnali [35]. Uti patet, unitati carnis inter coniuges effectae non adiicitur ulla significatio symbolica vel sacra: non mysterium, sed iuridica figura, quae ne quidem vera est, sed ficta. Manet ideo illud carnale opus, quod « commune » est, quo coniuges

---

[33] Cathrein, *op. loc. citt.*, pag. 71.

[34] D'Annibale, *Summula theologiae moralis*, vol. I, Romae 1908, pag. 13.

[35] *Glossa*, in *c. 19*, voc. *Una*, *C. 27 q. 2*: «Fictione iuris vir et uxor una caro fiunt, vel erunt duo in carne una, idest, in uno carnali opere, idest ad unam carnem, vel, idest, ad unam prolem procreandam. Sic et fornicarii dicuntur una caro: II, 32, q. 4, *in eo*».

inter se « cohaerent » [36] et « in quo conveniunt » [37]: quae verba satis clare partibus innuunt volentibus.

Propter hoc coniugium dividi non potest si continentiam, quam alter coniugum, post consummatum matrimonium, religionis causa appetit, alter recusat, sed potest utroque consentiente in continentiam [38]. Age nunc: si una caro bipertiri potest mutuo consensu (addita utrimque electione castitatis), nonne hoc praedicat illam consensu quoque, non nuda copula, effectam esse?

Denique locus S. Hieronymi de una carne inter fornicarios in Decreto Gratiani receptum est [39]: una caro nempe, cum nonnisi sit opus carnale, efficitur etiam si quis rem habeat cum meretrice, ut iam Apostolus scripserat [40].

Ne Decretalistae quidem de re ex professo egerunt. Ansam vero praebuit eorum disputationibus Decretalis illa qua Alexander III statuerat uxorem quamdam, nondum carnaliter cognitam, ad religionem transire posse intra praefinitum spatium duorum mensium, et, ea religionis habitum assumente, virum licentia alias nuptias contrahendi fruiturum esse [41]. Ex pontificia responsione statim profluit quaestio: quid si vir uxorem vi adhibita cognoverit?

Celebris ad rem exstitit disputatio saeculo XIII acta inter Bartholomaeum Brixiensem et Hostiensem, quam fere omnes Docto-

---

[36] *c. 18 C. 27. q. 2:* « *erunt duo in carne una.* Quibus verbis innotuit non aliter virum et mulierem posse fieri unam carnem, nisi carnali copula sibi cohaereant ».

[37] *Glossa,* in *c. 12,* voc. *Erunt, C. 32 q. 4:* « *Erunt,* idest convenient in uno carnali opere ».

[38] *c. 19 C. 27 q. 2:* « Scimus quod scriptum est « *Erunt duo in carne una* ». Si ergo vir et uxor una caro fiunt, et religionis causa vir uxorem dimittit, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel etiam fortasse ad illicita vota migrantem; quae est ista conversio, in qua una eademque caro ex parte transit ad continentiam, et ex parte remanet in pollutione? Si vero continentiam, quam vir appetit, uxor non sequitur, aut quam uxor appetit, vir recusat; dividi coniugium non potest... » (S. Gregorius I *Theutistae patriciae*).

[39] *c. 12 C. 32 q. 4:* « In eo fornicator maioris est criminis, quia tollit membra Christi, et facit ea membra meretricis, *erunt quippe duo in carne una* » (S. Hieronymus, in c. 5 *epist. ad Gal.* ad versum 19). *Glossa,* in *c. 3,* voc. *Caro, C. 30 q. 3:* « Qui adhaeret meretrici unum corpus efficit cum ea... Nam et affinitas acquiritur per coitum fornicarium ».

[40] S. Paulus, *1a Corinth.* 6, 16.

[41] *c. 7, X, de convers. coniugat., 3, 32:* « Ceterum, quia praefata mulier, licet a praefato viro desponsata fuerit, adhuc tamen, sicut asserit, ab ipso est incognita, fraternitati tua per apostolica scripta mandamus, quatenus, si praedictus vir mulierem ipsam carnaliter non cognoverit, et eadem mulier, sicut ex parte tua nobis proponitur, ad religionem transire voluerit, recepta ab ea sufficienti cautione, quod vel ad religionem transire, vel ad virum suum redire infra duorum mensium spatium debeat, ipsam... absolvas ita, quod, si ad religionem transierit, uterque restituat alteri quod ab eo noscitur recepisse, et vir ipse, ea religionis habitu assumente, ad alia vota licentiam habeat transeundi » (Alexander III *Brixiensi Episcopo*).

res saeculorum subsequentium commemorant [42]. Alter tenuit sponsae vi oppressae licere religionem ingredi invito sponso, ne delinquens fiat melioris conditionis quam non delinquens, quam sententiam iam Glossa sequuta erat [43] posteaque JOANNES ANDREAE amplexus est [44]. Alter, e contra, id est HOSTIENSIS, « monarcha iuris », contrariam sententiam ferens, censuit uxorem ita cognitam reddendam esse marito, cum hic, in vi adhibenda, iure suo usus sit [45].

Sic quaestio videbatur converti in indaginem de iure viri copulae extorquendae [46], sed non deerant considerationes de quadam irregularitate, quam mulier, eo quod polluta, contraxisset [47]. Inutiliter tamen inquireremus definitam solutionem rei quae nostra interest, nempe utrum copula violenta consummet matrimonium necne.

At saeculo insequenti JOANNES ANDREAE, « fons et tuba iuris », non dubitat quaestionem aggredi et solvere, eandemque verbis quam maxime apertis. Huius Doctoris sententia, consummatio matrimonii est signum coniunctionis Christi cum Ecclesia, ideoque perfecte voluntaria; coactio, quae impedit consummationem matrimonii spiritualis, fortius impedit consummationem carnalis, praesertim si absoluta, copula requirit consensum, saltem inclusum in coactione conditionali: patiens coactionem absolutam nihil agit; denique. in sequelam GUIDONIS « Archidiaconi », unione carnis illicita non consummatur matrimonium [48].

Contrariam sententiam tenet SANCHEZ respondens dubio « utrum copula per vim extorta ita consummet matrimonium, ut neutri sponso liceat ad religionem transire ». Primum Doctor affirmat quodvis dubium deesse si copula intelligatur extorta post bimestre a Decretali concessum, et quaestionem exsurgere tantum si vis adhibeatur intra bimestre. Deinde, hac altera hypothesi efficta, refert quosdam Decretalistas (quos inter recensentur HOSTIENSIS, ARMIDUS, JOANNES ANDREAE, ABBAS et SILVESTER) stare pro non consummatione, eo quod matrimonium consummatum repraesentet unionem Christi cum Ecclesia per carnem et huiusmodi unio suapte natura abhorreat a vi, sed, contra eosdem, habet pro certo matrimonium consummari et effici prorsus indissolubile tum quod iam coniuges

---

[42] Cfr. ex. gr.: BOICH, *In quinque Decretalium libros commentaria*, Venetiis 1576, pag. 512; FAGNANUM, *Commentaria in tertium librum Decretalium*, Venetiis 1739, tit. 32, cap. 7, nn. 28-30.

[43-44-45] Cfr. FAGNANO, *op. loc. citt.*

[46] FAGNANUS, *op. loc. citt.*, n. 32.

[47] BALDUS, cit. a FAGNANUS, *op. loc. citt.* n. 30: « Si puella est cognita etiam per vim... nec potest ingredi monasterium, quia gloria virginitatis non est in ipsa ».

[48] IOANNES ANDREAE, *op. loc. citt.*, Reg. 54, nn. 5, 11, 13.

una caro effecti sint, tum quod matrimonium claudicare non possit. Praeterea contrario argumento de unione Christi cum Ecclesia subtiliter opponit matrimonium eandem repraesentare quoad substantiam, non quoad modum, cum vir possit etiam vi cognoscere uxorem [49].

Nec aliter sentiunt Covarruvias [50], Pontius [51], Boich [52], Barbosa [53], Fagnanus [54], Pirhing [55], Reiffenstuel [56], Schmalzgrueber [57], denique, inter postremos Decretalistas, Wernz [58].

Hos inter tamen saltem duo sunt notandi et forsitan excipiendi, Fagnanus nempe et Reiffenstuel, qui in affirmanda voluntarietate copulae notabiliter consistunt.

Fagnanus iudicat consummatum esse matrimonium si uxor prima nocte cognita sit invita vel coacta, hocque bifariam probat: quia una caro coniuges effecti sunt et quia (notatu dignum) uxor « ex quo cognoscitur praesumitur consentire » [59]. Praeterea, pergens, pluribus modis affirmat voluntarietatem coniunctionis, verbis adhibitis omnino manifestis [60], quae videntur contradicere Doctoribus supra citatis. At non semper sibi constat, nam antea scripserat virum vi corrumpere posse uxorem, eo quod primus coitus sit ex debito et non gratuitus [61].

Magis perspicuus nuper citato Doctore, Reiffenstuel, respondens antiquo dubio an uxor vi cognita ingredi possit religionem,

---

[49] Sanchez. *op. loc. citt.*, disp. 22.

[50] Covarruvias, *In Librum IV Decretalium Epitome*, II, VII, 4, 10, in *Opera omnia*, tom. I, Venetiis 1614.

[51] Pontius, *De Sacramento Matrimonii*, Bruxellis 1527, (ed. sec.), lib. IX, cap. 10, n. 2 seqq. Auctor vero, sibi magis constans quam Sanchez aliique, tenet uxorem vi cognitam, etiam intra bimestre, ingredi non posse religionem.

[52] Boich, *op. loc. citt.*

[53] Barbosa, *Collectanea Doctorum*, tom. II, in III Decretalium Librum, Lugduni 1716, tit. 32, c. 2 n. 1.

[54] Fagnanus, *op. loc. citt.*

[55] Pirhing, *Ius canonicum*, tom. III, Dilingae 1676, til. 32, § XI, 57.

[56] Reiffenstuel, *op. loc. citt.*, n. 6 seqq.

[57] Schmalzgrueber, *Ius ecclesiasticum universum*, tom. III, pars III, Romae 1844, tit. 32, n. 11 seqq.

[58] Wernz, *Ius Decretalium*, tom. V, Romae 1904, pag. 30.

[59] Fagnanus, *op. loc. citt.*

[60] Fagnanus, *op. loc. citt.*, nn. 45 seqq.

[61] Fagnanus, *op. loc. citt.*, n. 33. Fere omnes Doctores praedicant primum coitum non esse gratuitum, sed ex debito: cfr., ex. gr., Ioannem Andreae, op. loc. citt., Reg. 64, n. 3; Panormitanum, *Commentaria in III Decretalium Librum*, Venetiis 1582 in 7, *X, de convers. coniugat., 3, 32.*

Loco nuper indicato, Fagnanus primus distinxit inter casum quo uxor dicit se velle religionem ingredi et casum quo simpliciter renuit copulam subire, et resolvit hoc tantum casu posse virum eam rapere, Post eum plerique Doctorum distinctionem amplexi sunt.

distinguit consummationem legitimam ab iniuriosa, et asserit legitimam solam prohibere ingressum; imo ad rem non dubitat affirmare « per copulam carnalem vi extortam matrimonium penitus non consummari », afferens ad probationem sueta argumenta et praesertim comparationem inter matrimonium et unionem Christi cum Ecclesia [62].

Hucusque dicta in angustum cogentes, non negamus plerosque veterum Doctorum consummationem habuisse pro nuda corporum commixtione, sed neglegere non possumus alios, et non minimos, considerasse etiam elementum morale et, quamvis obsides communioris doctrinae, pro eodem pugnavisse. Reapse omnes quaestionem coarctaverunt ad bimestre tempus concessum ad deliberandum de capessenda religione [63], sed coarctatio huiusmodi, propria veteris iuris, parum refert: nam satis est etiam unus casus matrimonii inconsummati ob defectum scientiae vel voluntatis vel libertatis, ut penitus corruat principium consummationis actu mere physico perficiendae.

Sane maioris momenti esset cognoscere utrum Doctores ingressum in religionem prohibentes, non obstante copula violenta intra bimestre habita, putaverint matrimonium esse reapse consummatum, an invocaverint aliquam irregularitatem, et vicissim utrum ingressum permittentes putaverint inconsummatum esse matrimonium an, admissa consummatione, uxorem vi pollutam habuerint non indignam religione et aliquo modo tuendam. Sed nodus non est facilis solutu, praeterquam apud Sanchez eiusque asseclas.

Generice loquendo tamen, et ipsius obscuritatis causa, veteres Doctores de re agentes non videntur eo praeiudicasse quaestionem ut amplius eam agitare vetemur.

Rapidum hunc excursum complentes hoc notabimus ad modum conclusionis, quod, interpretatione authentica antiqui iuris, actus coniugales subsequentes idonei censebantur ad convalidandum matrimonium nullum ex defectu consensus occulto [64] et consummatio copulae satis esse poterat ad matrimonii revalidationem quasi nova libera manifestatio consensus [65]. Quae authenticae interpretationes, cum pluris faciendae sint quam ipsae Doctorum sententiae, hoc

---

[62] Reiffenstuel, *op. loc. citt.*, n. 7.

[63] Staffa, *De impotentia et consummatione matrimonii*, in « Apollinaris » 1955, pag. 391.

[64] *Collectio declarationum S. Congregationis Cardinalium S. Concilii Tridentini interpretum. Opus studio Joh. Fortunati* Zamboni, tom. VII, Romae 1816, Lun. Sarz., *Matr.* 17 septembris 1796 § 10: « Subsequentes actus coniugales convalidant matrimonium nullum ex defectu consensus occulto ».

[65] *Collectio* de qua in praec. nota, Crem., *Matr.* 22 martii 1732 §§ 10-11.

ostendunt, ni fallimur, quod copula coniugalis perpenditur et vim legalem exserit quia et quatenus cum actu voluntatis coniungitur et ab actu voluntatis determinatur: quod principium neglegi nequit in re nostra consideranda.

IV

A) Antequam examen pure systematicum rei aggrediamur, facere non possumus quin aliqua dicamus de factis iuridicis: quorum rationem non clariorem aestimamus quam ut silentio praetereamus.

Dantur facta naturalia et facta quae scienter ponit homo quique audiuntur actus humani. Illa solo facto constant, haec facto et voluntate. Omnia assurgere possunt ad dignitatem iuridicam si, vi legis, praedita effectibus, ideoque habentur facta iuridica stricte sumpta et actus iuridici.

Factum iuridicum solo facto constat, actus iuridicus facto et voluntate [66]. Melius distinctionem perpendentibus, nobis videtur haec affirmanda esse:

1) quidquid constat solo facto oriri non posse nisi e natura;

2) e contra necessario oriri ex homine quidquid constat voluntate (cui factum nectitur qua forma manifestationis vel medium exsecutionis).

Proinde factum iuridicum procedit a natura tantum, actus iuridicus ab homine tantum.

Ex quo facile sequitur:

1) factum iuridicum s. s. non est proprie quod absque voluntatis concursu fit, sed quod non patitur voluntatis concursum; quod si hunc pateretur, iam non esset factum iuridicum s. s., quippe ab homine proveniens;

2) actus iuridicus is est qui necessario concursum voluntatis requirit, ita ut, hac deficiente, iam non esset actus iuridicus, neque, eadem de causa, actus humanus, neque, quod plus est, factum iuridicum: nam esset actio humana, quae per se, logice et iuridice, adipisci non potest effectus lege recognitos.

Sic posita distinctione, videtur deesse similitudinem seu communia elementa inter factum iuridicum s. s. et actum iuridicum. In comperto est enim voluntatem non posse addi actioni naturali, cum natura sequatur regina suum iter; ideoque factum iuridicum s. s. converti non posse in actum iuridicum. Pariter liquet actum iuridicum ne concipi quidem absque voluntate [67], ideoque hac ca-

[66] Chelodi, *Ius de personis, Tridenti*, ed. altera, 1926 vel 1927, pag. 176.

[67] Michiels, *Principia generalia de personis in Ecclesia - Commentarius libri II C. I. C. - Canones praeliminares 87-106*, Parisiis-Tornaci-Romae, 1955 pag. 572.

rente esse simplicem actionem hominis, nunquam factum iuridicum.

Hic expedit exempla adducere.

Si aliquem cultro ferias, eundemque deliberata voluntate, actum iuridicum (quamvis contra ius) ponis et merito damnaberis. Idem si ferias ob omissam debitam diligentiam. At si ferias inadvertenter, actu nempe quod nullo modo poterit tibi imputari, actus non censebitur iuridicus, ob defectum voluntatis, praetereaque ne factum iuridicum quidem configurabitur cum e tua actione descensuri non sint effectus iuridici [68]. Agetur ergo de simplici actione hominis, quae facto naturali accensetur [69].

At, obiecerit aliquis, si ex vulnere sequetur mors, nonne habebitur factum iuridicum? Quodnam factum magis iuridicum quam mors? Credimus obiectori sic respondendum esse. Mors est certissime factum iuridicum, sed aliter est sentiendum de homicidio. Hoc sensu homicidium et mors non reciprocantur: nam alterum ab homine, altera a natura: alterum effectus gignit quoad homicidam, altera quoad alias personas [70]. In hypothesi homicida solveret poenas delicti, damna reficeret, aliis verbis de sua actione responderet, cum mors, per se, alios effectus gigneret ut ecce aperitionem successionis in iura defuncti, solutionem matrimonii quo idem ligabatur, cessationem usufructus et ita porro [71]. Age nunc, si homicida

---

[68] *R. I. 23 in VI:* «Sine culpa ... non est aliquis puniendus».

[69] *L. 5. 2 D. 9. 2.* Ulpianus *l. XVIII ad ed.:* «Et ideo quaeritur si furiosus damnum dederit, an legis Aquiliae actio sit? et Pegasus negavit: quae enim in eo culpa sit, cum suae mentis non sit? et hoc est verissimum». Cfr. D'Angelo, *Ius digestorum*, vol. I, Romae 1927, n. 633.

Scialoia, *Negozi giuridici*, Roma 1938, § 10: «...l'uomo può fare anche degli atti involontarti, ma di questi non sarà responsabile, nè moralmente nè civilmente. Per es. chi ha le convulsioni fa una straordinaria quantità di atti e può produrre anche degli effetti giuridici, perchè p. es. può darsi che, agitandosi, rompa qualche oggetto ed arrechi danno a un terzo, ed è questi in tal caso che deve sostenere il danno, perchè appunto non si tratta di un atto dell'uomo, ma d'un semplice fatto riflesso di cui quegli non è imputabile».

[70] D'Annibale, *op. cit.*, pag. 130, nota 12: «Ab actione externa differt effectus, qui proinde cum ea confundendus non est; velut ex impacto pugione vulnus, ex hausto veneno nex».

[71] Ita forsitan confutandus est Betti, *Teoria generale del negozio giuridico*, Torino 1952, pag. 8, scribens: «Una dottrina corrente distingue tra fatti volontari (atti) e fatti naturali (fatti in senso stretto). Ma così prospettata, la distinzione procede dal profilo dinanzi accennato (hoc est ex ipsa natura facti) e si rivela priva d'interesse e soprattutto, equivoca. Essa, invero, porterebbe a qualificare come naturale e come volontario uno stesso fatto (per esempio la semina o la piantagione in un fondo o la morte di una persona), secondo che essa, nel caso specifico, fosse, o meno, determinata dalla volontà dell'uomo». Reapse, saltem nostro iudicio, duplex consideratio de qua est in re ipsa; haud raro enim idem factum duas frontes praebet, prout consideretur relate ad agentem aut relate ad pa-

inadvertenter egit, actum iuridicum non posuit, ideoque dantur tantum effectus alterius generis, quos parit factum iuridicum mortis.

Actio hominis, quippe quae absque consensu ponitur, effectus iuridicos gignere nequit, nisi quatenus, ea posita, status facti immutatur contra ius — ut ecce si quis, amens, furatur vel, sanus, ab amente donationem accipit — vel restituitur secundum ius — ut ecce si amens debitum solvat. Revera etiam his casibus actio hominis non parit effectus iuridicos nisi mediate: priore casu debitum nascitur ex iniusta locupletatione peracta (amens qui furatus est restituere tenetur, item ac sanus qui ab amente donationem accepit) [72], altero casu debitum exstinguitur ex iniusta locupelatione vitanda (creditor satisfactus iterum non potest petere solutionem) [73].

Eventus ergo ex quibus ius deprómit effectus in sua provincia sunt aut a natura aut ab homine. Si sunt ab homine aut voluntate fiunt, et actus iuridici audiuntur [74], aut absque voluntate, et nihil sunt, nempe ne facta quidem iuridica s. s., cum haec a natura sint.

B) E superiore deverticulo — de quo, licet necessario, excusamus nos lectori benigno — ad rem nostram revertentes, nunc iuridice reddere tenemur quaestionem in moralibus supra positam. Ad hoc non amplius de consummatione copulae loquemur, sed ne de consummatione quidem matrimonii. In locum huius consummationis agemus de prima coniugali copula: 1) quia consummatio matrimonii neque factum neque actum constituit, ni fallimur, sed effectum tantum, qui sequitur primam coniugalem copulam: hoc notetur quod, nostro iudicio, prima coniugalis copula manere potest, quamvis per exceptionem, expers effectus consummativi; 2) quia voluntas, si quam demonstrabimus necessariam, tendit in copulam, non in consummationem, cum ad effectus producendos non oporteat in genere agens eos intueatur [75]: 3) quia expedit inquirere causam potius quam effectum, elementum simplex quam implexum, actionem humanam quam eiusdem considerationem iuridicam.

Praeterea immutanda est altera pars quaestionis cum in locum actus humani sufficienda sit notio actus iuridici.

---

tientem. Hoc casu, admisso facto iuridico s. s. quoad patientem, nihil impedit quominus sciscitandum sit utrum agens actum iuridicum posuerit necne. Huc spectat, ni fallimur, Scialoia, *locus cit.* in praeced. nota.

[72] *R. J. 48 in VI:* « Locupletari non debet aliquis cum alterius iactura; item *R. I. 22 in VI.* Cfr. R. J. 206 (Pomponius).

[73] *R. J. 83 in VI:* « Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur ».

[74] Michiels, *op. loc. citt.*

[75] Michiels, *op. cit.*, pag. 589.

Idcirco quaestio ita ponitur: « an prima coniugalis copula, cum suis effectibus (et quidem: cum consummatione) tunc tantum habeatur si utrimque scientia et voluntate, seu actu iuridico, ponatur ».

Ut respondeatur, sciscitandum est quemnam locum teneat copula in ampliore numero factorum iuridicorum.

C) Copula per se non est factum iuridicum, quippe quae effectus ordinis iuridici plerumque non parit: sic inter coniuges, sic inter solutos. Sed interdum facti iuridici induit vestem, ut ecce in adulterio, stupro, incesto, et probabiliter in restituenda communione vitae coniugalis (can. 1129 § 2). Indubitanter praeterea inter facta iuridica adnumeranda est prima coniugalis copula: satis est ad rem conicere oculos in canones 1118, 1119, 1043 [76]. His casibus, id est cum copula inter facta iuridica recensetur, ageturne de facto iuridico s. s. an de actu iuridico? Haec est difficultas princeps: ad quam solvendam auxilio venient principia supra enucleata.

Copula humana est ab homine: si advertenter peracta est actus humanus, secus actio hominis; si secumfert effectus iuridicos est actus iuridicus quoque. Huc spectat casus primae coniugalis copulae.

Age nunc, si copula huiusmodi inadvertenter peragatur, actus humanus iam non est, eadem de causa actus iuridicus corruit nec in huius locum sufficitur factum iuridicum s. s., quia homo, non natura egit. Quid manet? Prorsus nihil. Ergo, carente causa, unde, quaeso, depromeremus effectum iuridicum illum, quae consummatio matrimonii auditur?

D) Haud ignoramus sane novissimam theoriam, quae distinctionem inter facta iuridica s. s. et actus iuridicos fundatur consideratione typica qua utitur ius in determinatam facti speciem iuridicam [77]. Attenta hac theoria, habetur factum iuridicum s. s. cum ius considerat phaenomenon naturae qua tale, praecisione facta ab accidentali concursu voluntatis; habetur actus iuridicus cum ius considerat actionem ab homine positam et respicit scientiam quae plerumque eam comitatur et voluntatem quae de more eam determinat [78].

---

[76] Lesêtre, *loc. cit.*

[77] Caveat lector ne devertatur moderna locutione facti speciei iuridicae, qua primus usus est Betti. Eam ipse Auctor (*op. cit.*, pag. 2, nota) sic explicat: « La denominazione è da preferirsi all'altra, comunemente usata, di « fatto giuridico », perchè indica tanto il *fatto* propriamente detto, quanto, insieme, lo *stato di fatto e di diritto* in cui il fatto incide e si inquadra ».

[78] Betti, *op, cit.*, pag. 9: « Se l'ordine giuridico prende in considerazione il comportamento dell'uomo in se stesso, e, nel ricollegarvi effetti giuridici, valuta la coscienza che di solito l'accompagna e la volontà che normalmente lo determina,

Si hanc theoriam sequi velimus, conclusio non mutatur, immo vero confirmatur. Nam copula, quae plerumque non parit effectus iuridicos, ordinarie tamen voluntarie fit, ideoque habenda est actus humanus in sua consideratione typica. Ex quo sequitur ut, cum copula cadit sub imperio iuris, facti species transeat cum suis elementis propriis, nempe cum facto et voluntate, quae altera deficere non potest nisi per accidens. Ergo copula iuridice exstans confirmatur actus iuridicus.

E) A posteriori nunc respicientes quaestionem, facile hoc animadvertimus, quod quoties copula consideratur factum iuridicum, toties consideratur actus iuridicus quoque, ita ut secumferat damnationem poenae, obligationem reficiendorum damnorum, impedimentum criminis (can. 1075), separationem coniugum (can. 1129), et ita porro. Quod ostendit copulam gignentem effectus iuridicos considerari non in se, nempe qua merum factum, sed semper tribui homini ut causae scienter volenti.

Quod si scientia et voluntate agens caruerit, nullo modo teneretur sui operis solvere poenas. Si quis in amentiam lapsus stupraverit (can. 2201) vel errore ductus (praeter culpam) adulterium patraverit (can. 2202), procul dubio non est imputabilis, imo ne nomen quidem stupratoris vel adulteri meretur, ita ut actio non pariat effectus iuridicos et consideranda maneat actio hominis.

Age nunc, abnorme esset si inter omnes copulas iuridice exstantes — quibus inest, ut supra notavimus, qualitas actus iuridici —, una prima coniugalis copula exciperetur, ideoque, quamvis recognita fons effectuum iuridicorum, non recenseretur inter actus iuridicos.

Nobis videtur actus iuridicus esse tum adulterium scienter et libere patratum, tum prima coniugalis copula scienter et libere peracta, cum utrumque ex voluntate pendeat. Eadem mente non videremus quare maritus qui amens vel errore ductus se miscet cum muliere aliena non patret delictum adulterii, cum e contra consummet matrimonium si primum, pariter amens vel errans, cum uxore se iungat.

F) Cum homo supponatur dominus suarum actionum, ita hae praesumuntur in provincia morali actus humani, in provincia iuris actus iuridici.

Licet principium huiusmodi non declaretur in Codice, tamen

---

il fatto si dovrà qualificare come atto giuridico. Esso dovrà invece, qualificarsi come fatto, allorchè il diritto tiene in conto il fenomeno naturale come tale, prescindendo da un'eventuale concorrente volontà: oppure allorchè esso considera, sì, l'operare dell'uomo sulla natura esteriore, ma ciò facendo, non valuta tanto l'atto umano in se stesso, quanto il risultato di fatto cui esso mette capo ».

facile depromitur: nam lex poenarum praesumit dolum (can. 2200 § 2) et lex communis irritat actus positos errore (can. 104) vel vi (can. 103), id est praesumit cognitionem et voluntatem liberam in agente.

Effectus ideo qui nectuntur actioni ab homine positae supponunt hominem sui compotem, scientem, volentem. Quare si homo rationis usu non polleat vel errore ductus vel vi coactus agit, non dantur illi effectus. Alii vero effectus dari possunt, sed mediati tantum et solummodo ad statum facti contrarium iuris removendum, ut iam vidimus.

At nihil est quod effectus huiusmodi sequantur primam coniugalem copulam quae scienter et sponte posita non fuerit. Immo, attento momento quod habet consummatio matrimonii in oeconomia instituti matrimonialis, causa est cur de scientia et voluntate maximi fiat.

G) Obiecerit aliquis primam coniugalem copulam esse adimplementum obligationis, et adimplementum non requirere consensum voluntatis. Respondemus:

1) Adimplementum est per se actus iuridicus, ut omnes scriptores tenent [79]. Non negamus vero dari satisfactionem creditoris quoties debitum solvitur, etiam sine sciente voluntate debitoris; sed in casu ageretur de adimplemento omnino abnormi, imo magis de satisfactione creditoris quam de adimplemento ex parte debitoris, ut si vitulus mihi debitus effugiat e manibus custodis et in bubile meum se recipiat; sed huiusmodi modus adimplementi admitti nequit quoad omnes obligationes, cum deceat eas tantum in quibus modus solutionis et intuitus personae adimplentis nullum habent momentum. Uti patet, inter eas non est recensenda obligatio copulae coniugalis.

2) Quamvis copula coniugalis sit officium coniugis, tamen copula peracta non habetur adimplementum sensu proprio. Nam adimplementum exstinguit obligationem, cum hoc in matrimonio non eveniat. Officia coniugalia comitantur coniuges per totam vitam iisdemque respondent totidem adimplementa. Immo potius dicamus, quoties alter coniux legitime petat, toties dari officium totiesque adimplementum.

Prima copula ideo est adimplementum primi officii et nihil aliud, nempe non perficit adimplementum debiti coniugalis. Eius momentum igitur non est in adimplemento (quod satisfacit primo officio tantum), sed in hoc, quod prima est, ita ut effectus iuridi-

---

[79] Betti, *op. cit.*, pagg. 160 seqq.; Stolfi, *Teoria del negozio giuridico*, Padova 1947, § 3.

cos pariat. Accentus seu nota vocis non consistit in adimplemento, sed in hoc quod agitur de copula prima seu de adimplemento primo: quod secumfert quasi confirmationem pacti nuptialis, huiusque initium exsecutionis.

Etiam hac de causa primum adimplementum debiti coniugalis requirit consensum scientis voluntatis.

3) Debitum rei vel pecuniae summae est semper solvendum, cum debitum coniugale possit, et aliquando debeat, recusari, ut ecce si solutio secumferat grave discrimen vitae vel sanitatis [80].

His rationibus attentis, copula, quamvis constituat adimplementum debiti, tamen determinanda est sciente et libera voluntate ut effectus iuridicos pariat.

H) Nunc solvenda est quaedam difficultas. Nam, obiecerit aliquis, pars quae scientia et voluntate primam coniugalem copulam peragit actum ponit iuridicum ideoque adipiscitur effectus huius actus id est matrimonium consummat. Et quoniam matrimonium claudicare nequit, consummatio obtinet quoad utrumque coniugem. Respondemus:

1) Generatim non est spernendum principium logicum docens quidquid faciendum concursu duorum elementorum fieri non posse unius elementi opera, nec alterum morale vi cuius conditio libertis (intelligas: libertatis status, quae penitus consummato matrimonio amittitur) praeferenda est oppositae [81].

2) Ad rem nostram quod attinet, prima coniugalis copula constat non uno, sed duobus actibus iuridicis, qui simul compositi dicuntur actus iuridicus bilateralis; ideoque aut adest uterque actus iuridicus qui e sciente voluntate coniugum depromitur, et datur actus iuridicus bilateralis, aut vel alter deest et totus corruit actus iuridicus bilateralis. Nec fieri potest ut alter actus servetur, quia pars quae copulam peragit scienter et volenter reapse iuridice non operatur, cum in subiecta materia effectus descendant ex actu non unius personae, sed duarum, nempe ex actu bilaterali, qui in hypothesi deest.

Explanamus ad hoc, ne male intelligamur, bilateralitatem respicere non copulam in se, sed actum iuridicum: proinde si pars coniugata sui compos et soluta amens inter se coeunt, copula est actus iuridicus (delictum) tantum quoad eam, nempe est unilateralis, et nihil est quoad alteram, quae consequenter non censetur consummasse delictum. Hoc explicatur quia possibile est effectus

---

[80] S. Alphonsus, *op. citt.*, tom. II, *cit.*, lib. IV, nn. 948, 950, 951.

[81] S. Alphonsus, *op. cit.*, tom. I, lib. I, n. 63: «Libertas manet semper certa, usque dum a lege pariter certa et manifesta ligatur». Cfr. *R. J. 20* (Pomponius); *R. J, 106* (Paulus); *R. J. 122* (Gaius).

quoad partem seiungere ab effectu quoad alteram, cum responsabilitas pertineat ad personam.

Sed aliter sentiendum est si quis sui compos primam coniugalem copulam peragit cum coniuge amente. Hoc casu copula non constituit actum iuridicum ne quoad partem quidem quae scienter et consulto agit. Hoc explicatur quia heic actus iuridicus aut est bilateralis aut nihil est: secus una tantum pars valide ageret, seu consummaret matrimonium, quod est absurdum.

I) Paucis, copula esse potest:

— simplex actio hominis, ut si ab amente peragatur;

— actus humanus, ut plerumque;

— actus iuridicus unilateralis, ut in nonnullis delictis;

— actus iuridicus bilateralis, ut inter coniuges scienter et volenter primum inter se rem habentes, et probabiliter in restauratione consortii coniugalis ex can. 1129 § 2.

Quoniam absque scientia et voluntate utriusque partis actus iuridicus bilateralis non sustinetur, prima coniugalis copula absque illis elementis humanis peracta vi iuridica non pollet et simplici actioni hominis aequatur, quae expers effectuum iuridicorum exsistit.

Ergo quaestioni supra positae (sub B) affirmative respondendum opinamur, ideoque effectus consummativos matrimonii non consequi nisi in copula primum inter coniuges peragenda eliciatur utrimque actus humanus, qui, in casu, idem valet ac iuridicus.

V

A) Conclusiones huiusmodi ex summis iuris principiis depromptas nunc vero probare debemus ex vicinioribus haurientes fontibus. Ad hoc nobis auxilio venit illud S. Officii responsum diei 2 februarii 1949, quod praedicat consummatum esse matrimonium « si essentialia elementa copulae posita sint a coniuge, qui ad unionem sexualem non pervenit nisi adhibitis mediis aphrodisiacis, rationis usum actu intercipientibus » [82].

Perperam, ni fallimur, Auctores usi sunt hoc responso ad confirmandam thesim consummationis tantum physice perficiendae. E contra nobis videtur potius mentem Supremae Congregationis hanc fuisse: tunc tantum copulam inconscienter peractam consum-

---

[82] Notetur responsum hoc in *Actis Apostolicae Sedis* publicatum non esse. Eius textum referunt « *Apollinaris* » 1955, pag. 391, fasciculi periodici et liber ibi indicati, necnon « *Leges Ecclesiae de Matrimonio* », Romae - apud Desclée - 1956, pag. 41.

mare matrimonium cum pars caret « actu » usu rationis; ex quo hoc argumentandum est, quod si pars non actu, sed habitu, careat usu rationis, contraria tenenda esset sententia.

Ad rem recolenda aliqua principia de intentione.

Voluntas, ut notat D'Annibale [83], est vocabulum aequivocum, nam et « potentiam » et « actum » significat. Qua potentia definitur appetitus rationalis, qua actus est motus deliberatus in finem. Cum in finem aliquem tendit, voluntas nomen sumit intentionis; quae triplex est prout plus minusve directe cohaeret actui intellectus. Actualis est intentio cui attentio (actus intellectus) adest continuo; virtualis dicitur intentio cui attentio adest primo initio tantum operis cum postea exulet; habitualis tandem dicitur intentio cui attentio nullatenus adest [84]. Actualis, quam intellectus immediate dominatur, est vera intentio; item est sentiendum de virtuali, quae sub imperio intellectus est virtute praecedentis actus; e contra habitualis censetur intentio efficax in rebus patiendis, non vero in agendis [85].

Age nunc: cum Suprema Congregatio edixit virum usu rationis actu carentem consummasse matrimonium, certo prae oculis habuit intentionem virtualem, qua pulsus vir, etsi obnubilata conscientia, egit, actum ponendo in quem paulo ante plena scientia et voluntate pro viribus tendebat. Hoc adde, quod in casu, praeter intentionem virtualem genericam, eo manifestior erat intentio copulandi, quam vir hic fovebat, quo minus idem dubitavit mediis aphrodisiacis uti ad finem assequendum [86].

---

[83] D'Annibale, *op. loc. citt.*, pag. 118.

[84] Lehmkuhl, *Theologia moralis.* Friburgi-Brisgoviae 1893, vol. I, pag. 17; D'Annibale, *op. loc. citt.*, pag. 120; Cathrein, *op. loc. citt.* pagg. 71-72; Lanza, *Theologia moralis.* tom. I, Taurini-Romae 1949, pag. 68; Piscetta-Gennaro, *op. loc. citt.*, pagg. 23-24.

[85] Vermeersch, *Theologiae moralis principia, responsa. consilia*, tom. I, Romae 1933, pag. 66: « Voluntas virtualis eandem atque actualis efficaciam possidet. Habitualis ad quosdam effectus iuridicos vel spirituales, *qui actionem non postulant*, sufficere potest ». Item D'Annibale, *op. loc. citt.*, pagg. 120-121. Cfr. Michiels, *op. cit.*, pag. 588.

[86] Staffa, *op. cit.*, narrat quomodo ad responsum perventum est: « In causa super qua Suprema S. Congregatio relatum responsum dedit die 2 februarii a. 1949, agebatur de viro qui copulam, non obstantibus conatibus repetitis, perficere non potuit nisi semel, etiam illa vice elementa essentialia actus coniugalis non valens nisi adhibita immodica quantitate yombinae, id est alicuius substantiae chimicae aphrodisiacae ad excitandum systema nerveum aptae. Tanta copia hoc remedium vir sumpsit, ut usum rationis amiserit, at in hoc statu interceptae rationis tandem uxorem suam cognovit. Turnus Rotalis diei 15 octobris a. 1947 edixit nullitatem matrimonii in casu probatam non esse, quia de impotentia psychica agebatur cuius perpetuitas aliquatenus dubia erat; censuit e contra constare de inconsummatione matrimonii, quia copula peracta non fuerat actus hu-

Ex responso sic explicato licet nobis quae sequuntur arguere:

1) quod si coniux primam maritalem copulam peragit postquam inciderit in amentiam, nihil facit, id est nullum iuridicum consequitur effectum: hoc casu auxilio non venit intentio virtualis, quae deest, neque habitualis, quae per se impar est in rebus agendis, ut supra vidimus;

2) quod etiam in casu coniugis qui actu carens usu rationis ponit primam maritalem copulam, probabiliter matrimonium censendum est inconsummatum quoties, aliter ac in casu Supremae Congregationi subiecto, non constet de intentione virtuali copulam ponendi [87].

Uti patet responsum non amplius calcat iter vetus Doctoribus gratum, sed, ab eodem devertens, primum perpendit quanti faciendum sit elementum morale, scilicet intellectus et voluntas, in prima coniugali copula peragenda. Huiusmodi copulam valide non peragit, ut edicitur, qui rationis usu habitualiter caret, et etiam — dicamus — actualiter, nisi forte sufficiatur intentio virtualis. Ideo prima coniugalis copula humano tantum actu perficitur. Cum vero actus humanus cui nectuntur effectus lege recogniti sit actus iuridicus, affirmativa liquet supra positae quaestioni responsio, scilicet: prima coniugalis copula, cum effectu consummativo, tunc tantum habetur si utrimque scientia et voluntate, seu actu iuridico, ponitur.

B) Relata prima coniugali copula in actuum iuridicorum numerum, decet omnia consectaria depromi. Transeamus ideo ad canones 103-104 perpendendos.

Sub eorum imperio non dubitamus primam coniugalem copulam versari: nam canones hi moderantur omnes iuridicos actus, quos inter prima coniugalis copula, et non solum contractus, cum, secundum vetus principium, ubi lex non distinguit, nec nos distin-

---

manus. In Audientia tamen diei 16 novembris a. 1947 Summus Poutifex, attentis adiunctis, dispensationem super rato et non consummato concedendam non censuit et iussit causam ratione competentiae de doctrina declaranda ad S. Congregationem S. Officii deferri. Quaestio soluta fuit a Suprema Congregatione decreto citato».

[87] D'Annibale, *op. loc. citt.*, pag 127: «Itaque, si, v. c., furiosus vel somnambulus intersit sacro, recitet horas canonicas, baptizet, contrahat, nihil agit...; licet is se haec facturum praeviderit, immo voluerit facere. Nam neque tunc valent, cum ea vult, quia non facit; neque cum facit, quia non vult». Aliter res se habet in sequenti exemplo, quod Doctor ibidem fingit: «Dices: atqui, si is secum constituat: *si somnambulus hoc, vel illud vovero, volo votum valere*, et dormiens voverit, obligatur (Suarez). Ita porro, sed quia sui compos vovit, sub hac quasi conditione casuali, *si dormiens vovero*; atque ideo, impleta conditione, non ex praesenti voto, sed ex praecedenti voluntate obligatur» (ibidem).

guere debeamus; quin immo, attento verbo « actus » in Codice adhibito, arbitrio uteremur contractus tantum considerantes [88].

E contra dubia irrepunt an copula reapse consummata possit 1) considerari pro infecta, 2) vel rescindi.

Prius dubium reicimus, quoniam sanctio, vi cuius actus reputatur infectus, fictionem iuris inducit, quae, qua talis, respicere potest et debet facta quoque de cuius materialitate non sit ambigendum, pro quibus ideo non valet effatum « quod factum est infectum fieri nequit », sed regula prorsus contraria: « quae contra ius fiunt debent utique pro infectis haberi » [89]. Qui admittit primam coniugalem copulam esse actum iuridicum non neget eam posse iussu legis pro infecta haberi.

Alterum vero amplectimur, quia rescindibilitas afficere potest quidem omnes actus, ea lege tamen ut absit repugnantia ex rei natura [90]. Et hanc repugnantiam credimus inveniri inter copulam et rescindibilitatem: nam huiusmodi sanctio supponit copulam adfuisse et valere quoad effectus iuridicos. Admisso eius valore, consummatum declarandum est matrimonium. Quomodo postea inconsummatum iterum evaderet?

C) *Quoad vim* (can. 103 § 1). = Vis de qua Codex heic agit est physica seu absoluta; quia aliter non est intelligenda vis « extrinseca cui resisti non possit » [91]. Qui eam patitur, propriam actionem non ponit cum merum instrumentum sit alterius qui vim infert [92]. Proinde actus vi positi ipso iure naturae nulli et irriti sunt. Citato canone Codex, ius naturae recipiens, praecipit huiusmodi actus pro infectis habendos esse.

Praeceptum valet nedum quoad actus ex quibus surgit obligatio, sicuti sunt contractus et promissio, sed etiam quoad actus debitos, quibus nempe obligatio exsecutionem recipit. Nam etiam actus debiti sunt actus iuridici, ponendi ideo scientia et voluntate, nec quicquam inferre potest vim ut alter adimpleat officium suum. In contrarium non tenet illud « qui iure suo utitur neminem laedit » [93]. Regula, quae bene aptatur ad moderandum usum iurium realium, non aptatur obligationibus: aliter, uti patet, bellum ena-

---

[88] Wernz-Vidal, *Ius canonicum*, tom. II, Romae 1928, pagg. 38-39: «Ius positivum firmat principium de valore actus ex gravi et iniusto metu extorti, sine distinctione inter contractum et alios actus».

[89] *R. I. 44 in VI.*

[90] Wernz-Vidal, *op. loc. citt.*, pag. 39.

[91] Cfr. *L. 2 D. 4, 2:* «Maioris rei impetus qui repelli non potest».

[92] Wernz-Vidal, *op. loc. citt.*, pag. 37.

[93] *R. J. 151* (Paulus): «Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere ius non habet».

sceretur omnium contra omnes, cum nemo in hypothesi satisfactionem directam adipisci renuntiaret. Praesertim obligatio personaliter faciendi non est coërcibilis nisi per aequivalens, id est urgeri potest metu poenae vel substitui aliis obligationibus [94], in sequelam ceterum iuris romani [95], et speciali modo obligatio coniugalis maxime respuit coactionem quippe quae secumfert possessionem corporis alieni, coniunctionem intimam, communicationem seminis.

Proinde quaties actus vi obtineatur, semper pro infecto habendus est, quin sit investigandum utrum vis fuerit iusta an iniusta [96] Nam vis, quippe maxima inimica iuris, numquam iusta dicatur.

D) *Quoad metum* (can. 103 § 2). = E contra metus iustus aut iniustus est: tamen actus valet in utroque casu nisi aliud iure caveatur, sed cum in priore impugnari non possit, in altero est rescindibilis dummodo sub metu gravi positus sit. At eadem de causa nuper significata, sub B), nobis videtur rescindibilitas hic non sustineri, quippe quam, praeter qualitatem vel gravitatem metus, res ipsa non patitur.

E) *Quoad errorem* (can. 104). = Putamus ad rem nostram quod attinet nunquam adesse errorem qui vocatur obstativus quique indicat discrimen inter voluntatem veram et voluntatem exterius significatam: ni fallimur enim res ipsa prohibet quominus hic voluntas quaedam significetur. Ideo huiusmodi error, qui iure naturali irritans est, nostra non interest. Considerandus venit alter error — cui nomen vitium —, qui, utpote proprius intellectus, non tangit voluntatem, ita ut quod errore volumus sit vere volitum quamvis erroris causa. De hoc altero errore videtur agere canon 104 [97].

Age nunc: erravitne circa substantiam actus qui primam coniugalem copulam peregit, putans erronee compartem non esse suum coniugem? Credimus affirmative esse respondendum: certo agens non erravit circa substantiam facti, quae copula fuit, sed erravit circa substantiam actus, et quidem iuridici, cum copulam censuerit dumtaxat fornicariam; id est agens vere voluit copulam, sed quia et quatenus errore ductus circa personam compartis [98]. Et cum in his rebus, uti patet, intuitus personae emineat, error aestimandus

---

[94] Graneris, *op. cit.*, pag. 112.

[95] *L. 13 D. 42, 1:* «Qui non facit quod promisit, in pecuniam numeratam condemnatur, sicut evenit in omnibus faciendi obligationibus».

[96] Conte a Coronata. *Compendium iuris canonici*, vol. I, Taurini 1937, pag. 230.

[97] Contra videtur esse Chelodi, *op. cit.*, n. 101 b.

[98] Ideo error seu ignorantia adest in casu quoad factum contracti matrimonii; quapropter non est obiicienda regula: «Ignorantia facti, non iuris, excusat» (*R. I. 13 in VI*).

est substantialis, nempe tangens substantiam actus ad normam canonis [99].

Cum error tollat voluntatem [100], quaestionem dirimimus etiam sub altero respectu, a S. Alphonso manu ducti. « Ad hoc ut aliqua actio dicatur tota voluntaria, necesse est ut cognoscatur secundum omnes sui partes et circumstantias, quarum aliqua si ignoretur, actio non dicitur voluntaria, quoad illam circumstantiam ignoratam » [101]. Aliis verbis voluntarium non potest praetergrediri cognitionem qua agens utitur. Proinde si agens nescit miscere se cum coniuge, necessario nullam adhibet voluntatem quoad officium coniugale, ita ut actus, quamvis voluntarius, maneat involuntarius quoad circumstantiam ignoratam id est matrimonium.

Haec est ratio cur « qui accedit ad mulierem quam nescit esse nuptam non committit peccatum adulterii sed simplicis fornicationis; cum involuntarie se habeat quoad circumstantiam matrimonii, quam ignorat » [102]. Quod dicitur de peccato, dicendum est sane de actu iuridico, qui pariter requirit voluntatem; nam « ubi nulla est advertentia nullum est voluntarium et peccatum » [103]. His positis non videmus quare qui accedit ad mulierem, quam nescit sibi coniugatam esse, consummare matrimonium dicendus sit.

Sane vero talis error, quamvis substantialis, actum de quo non irritat si dumtaxat concomitans, hoc est si errans etiam cognito errore ab actu non recessisset [104]. His verbis, ut palam est, invocare non intendimus voluntatem quandam interpretativam, quae reapse non sufficeret, sed voluntatem seu intentionem virtualem qua utitur coniux qui nullum obicem ponit ad copulam coniugalem peragendam. Ni fallimur, cum a Doctoribus error causam dans et error concomitans aequiparantur, prae oculis habetur actus qui primo ponitur, id est qui non supponit voluntatem antea elicitam, quae forte maneat; sed actus qui voluntati praecedenti aliquo modo ligatur, ab uno errore causam dante irritari potest, altero errore non relevante virtualis intentionis causa. Huc spectat casus primae coniugalis copulae.

Alter error irritans de quo decernit Codex, nempe error recidens in conditionem « sine qua non », non videtur dari posse in

---

[99] Wernz-Vidal, *op. loc. citt.*, pag. 41 ; Roberti, *De processibus*, vol. I, Romae 1941, pag. 689.

[100] D'Annibale, *op. loc. citt.*, pag. 128 : «Nulla igitur voluntas, nullum voluntarium est eius qui id quod agit nescit».

[101] S. Alphonsus, *op. cit.*, tom. II, lib. V, tract. preamb., VIII.

[102] S. Alphonsus, *op. loc. citt.*

[103] S. Alphonsus. *op. loc. cttt.*

[104] Wernz-Vidal, *op. loc, citt.*

copula consummativa. Nam qui peragit copulam quia erronee putat verificatam esse conditionem cui alligaverat consensum in copulam peragendam, elicit novum actum voluntatis ex quo directe profluit copula, et hic purus considerandus est quamvis erroris causa elicitus. Primus consensus fuerat reapse conditionatus, novus est purus etsi erroneus.

Quod si quis errore ductus, peragens primam coniugalem copulam credat, quamvis perperam, eam alligatam esse conditioni cuidam « sine qua non », ita ut effectus non sint inde profluxuri nisi verificata conditione, error in quem agens incidit, quippe qui respicit effectus tantum, considerandus est accidentalis et non irritat copulam.

Hucusque dicta de errore aptanda sunt, uti liquet, etiam ad ignorantiam, quae iure errori accensetur.

F) *Quoad dolum* (can. 103 § 2). = Actus ex dolo positi per se valent, nisi aliud iure caveatur. Sicut diximus sub B) eademque mente, putamus primam coniugalem copulam dolo determinatam penitus valere ideoque matrimonium consummare: huc spectat illud « nemo videtur dolo facere qui iure suo utitur » [105]. Revera autem si dolus induxit aliquem in errorem, et hic versatur circa substantiam actus, denuo invocandus venit canon 104, qui, non aliter ac quemvis actum iuridicum, etiam primam coniugalem copulam nostro iudicio irritat.

JOSEPH MARCONE
Sacrae R. Rotae Advocatus

[105] R. I. 55 (GAIUS).

PAROCHI OBLIGATIO ADMINISTRANDI CONFIRMATIONEM.

Eduardus, parochus in civitate magna et ex toto catholica, in paroecia sua habet nosocomium pro infantibus totius civitatis. Ad illud deferuntur practice omnes infantes in sensu lato usque ad 14 annum aetatis, qui ita graviter aegrotant ut curari debeant in nosocomio. Nil mirum quod ibi multi versantur in periculo mortis, in quo pars maior succumbit, alia pars supervivit. Cum hodie parochi possint personis moribundis administrare sacramentum confirmationis, sed solummodo intra fines territorii proprii paroeciae, Eduardus est solus sacerdos qui in hoc nosocomio hoc sacramentum conferre potest. Quapropter ipse saepe saepius, sive die sive nocte, ope telephonii vocatur ut alicui infanti pereclitanti conferat confirmationem. Onus non leve, imo valde grave. Onus quod parochus ne per vicarios suos exercere potest. Consulens auctores Eduardus videt plures tenere sententiam severam. Est obligatio gravis, dicunt, quo tenetur parochus. Additione alicuius auctoris, quod non arguet de peccato gravi parochus qui semel vel bis negligit administrare hoc sacramentum [1], non notabiliter adiuvat Eduardum. Eduardus quaerit: 1. utrum hic habeatur revera obligatio gravis. 2. nonne detur via providendi alio modo?

Res illa nova, potestas scilicet parochis data confirmandi in propria paroecia eos qui in periculo mortis versantur, suscitavit plures quaestiones. Plures moralistae qui post annum 1946 scripserunt aut novam editionem suorum manualium curaverunt, quaestionem de obligatione parochi in hac materia breviter tractant et saepe non demonstrant se rem ex omni parte considerasse. Quidam excitant suspicionem contrarii; quidam quaestionem tractant ac si nihil mutatum sit et non loquuntur nisi de obligatione episcopi. Fusius, occasione casus practici, similis ei quem modo proposui, de quaestione agit J. McCarthy in suo libro « Problems in Theology. I. De Sacramentis » (Dublin, 1956). Etsi rem tractet modo sibi consueto, solido scilicet et datis rationibus, post studium suae disceptationis mihi manserunt gravissima dubia de veritate solutionis quam praebet.

[1] Mulders in *Ned. Kath. Stemmen*, 1947, p. 121; Item Aertnys-Damen *Theol. Mor.* II, n. 88. Ille dicit semel vel bis; hic semel tantum. Sed iam statim lector sibi quaerit: semel (vel bis) in vita, aut in anno, aut in mense?

Ipse tenet sententiam quam etiam inveni apud aliquos moralistas: obligatio administrandi sacramentum confirmationis, quam habet parochus est obligatio gravis; qui absque ratione proportionate gravi omittit hanc administrationem, ita ut persona (infans) moriatur aut gravi exponatur periculo moriendi quin receperit hoc Sacramentum, committit peccatum mortale. Haec sententia apud multos qui cognoscunt doctrinam theologicam traditionalem de hoc Sacramento et etiam praxim ecclesiasticam in hac re, excitare vix nequit admirationem, saltem primo aspectu. Hoc sane non probat eam esse falsam. Attamen habetur saltem ratio crisi subiiciendi rationes quas auctor aliique qui cum eo consentiunt afferunt ad sententiam probandam.

Ratiocinatio McCarthy est haec. In Decreto « Spiritus Sancti Munera » dicitur; « presbyter privilegio Apostolico donatus obligatione tenetur sacramentum hoc illis, quorum in favorem concessa est facultas, rite et rationabiliter petentibus conferendi ». Parochus tenetur obligatione administrandi Sacramenta quoties fideles id legitime petant (c. 467 § 1), et speciali modo debet curam habere de aegrotis et moribundis in sua paroecia (c. 468 § 1) [2]. Negari vix potest, visis et maximo valore huius Sacramenti et recenti sollicitudine ex parte S. Sedis providendi utilitati morientium, fidelem in periculo mortis constitutum legitime petere hoc sacramentum. Ergo concludendum est obligationem esse gravem et hoc agi de materia gravi.

Tam sententia ipsa quam ratiocinatio qua auctor eam probat a primo momento mihi visae sunt minime certae. Graves statim in mentem meum exortae sunt rationes in contrarium, quas hucusque me impediunt sententiam auctoris amplecti aut ei tribuere certitudinem etiam ut aiunt late moralem. Etenim:

1. Doctrina communis moralistarum et canonistarum semper fuit et adhuc est: receptio huius sacramenti non obligat sub gravi. Etiamsi quis plenam habeat occasionem recipiendi hoc sacramentum, sed negligentia per totam vitam omittat hoc Sacramentum recipere, non peccat graviter. Ratio data est: quia hoc Sacramentum non est de necessitate salutis. Sane, ex hoc solo non sequitur *administrationem* non esse rem gravem ex parte saltem eorum qui ratione

---

[2] In dubium vocari potest utrum in hoc canone valde generali verba « speciali modo » etiam respiciant *infantes* morientes ante usum rationis, si iam sint baptizati. Hi minus quam quilibet alius moribundus vel non moribundus indigent auxilio parochi.

officii habent obligationem justitiae administrandi Sacramenta [3]. Attamen, haec doctrina difficulter componitur cum sententia quae gravitatem obligationis deducit ex *valore* huius Sacramenti.

2. De ipsa obligatione administrandi hoc Sacramentum theologia traditionalis non tacuit, sed plura semper docuit. Errorem committeremus quaestionem de obligatione ministrandi hoc Sacramentum proponentes tamquam quaestionem novam, ortam ex concessione facta Decreto *Spiritus Sancti munera*. Semper adfuerunt in Ecclesia et inter fideles ministri huius Sacramenti, scilicet episcopi et sacerdotes a S. Sede hac facultate speciali dotati. Doctrina moralis circa eorum obligationem administrandi hoc Sacramentum fuit communis et pacifica.

Quae in Codice Iuris Canonici nunc per modum legis sunt statuta est Codificatio huius doctrinae. Canon 785: « Episcopus obligatione tenetur Sacramentum hoc subditis rite et rationabiliter petentibus conferendi, praesertim tempore visitationis dioecesis. Eadem obligatione tenetur presbyter, privilegio apostolico donatus, erga illos, quorum in favorem est concessa facultas. Ordinarius legitima causa impeditus aut potestate confirmandi carens debet quoad fieri potest saltem intra quodlibet quinquennium providere ut suis subditis hoc Sacramentum administretur ».

Huic canoni per modum interpretationis adiungit Aertnys-Damen [4]: peccat graviter Episcopus si per longum tempus non confirmet sive per se sive per alium, quia subditos ingenti bono privat. Unde non excusaretur a mortali, si per octo vel decem annos differt circumire saltem per praecipua loca, nisi excuset moralis impossibilitas. Si autem adsit iusta causa, non peccat qui differt per tres vel plures annos.

Haec doctrina continet elementa pretiosa et utilia ad iudicandum de gravitate obligationis parochi.

a. Auctores probati et nullatenus laxistae non audent docere et quidem quia hoc ipsis non videtur sufficienter certum, Episcopum, personam capacem unicam in dioecesi, qui per septem annos non adit partes sui dioecesis neque per se neque per alium, peccare graviter. Imo non accusant de peccato gravi Episcopum qui per decem annos saltem *loca praecipua* ad hunc finem visitat, etsi non veniat in alios locos.

---

[3] Saepe enim parochi tenentur sub gravi administrare aliquod Sacramentum personae legitime petenti, etsi haec persona ipsa absque peccato petitionem et receptionem omittere posset. Ratio obligationis enim non est sola gravis necessitas petentis, sed etiam officium parochi, erga quem paroeciani habent iura.

[4] *Theologia Mor.* II, n. 88.

Certum tamen est quod quoties Episcopus sic agit, multi per notabile temporis spatium et in vitae periodo in qua indubie non minus quam in aliis vitae stadiis gratiis huius Sacramenti indigent, destituti manent hoc Sacramento. Aeque certum est quod non pauci morientur absque hoc Sacramento.

Nec in dubium vocari potest Episcopos magis quam parochi esse pastores proprios fidelium ipsis commissorum. Ipsi quoad multa officia pastoralia erga fideles suos exercere possunt per alios et praesertim per parochos, sed proprie quoad hoc Sacramentum id non possunt et ante annum 1946 ne in periculo mortis quidem alius praeter ipsos solos potuit hoc Sacramentum conferre.

Haec doctrina communiter admissa videtur supponere receptionem et administrationem huius Sacramenti esse quidem rem notabilis valoris, sed tamen non tanti valoris ut administratio etiam ex parte ministri relate ad fideles singulos, etiam multos, sit materia gravis.

b. Ante Decretum *Spiritus Sancti Munera* episcopus saltem quoad paroeciam in qua habitat et aliqualiter quoad totam civitatem residentialem (nisi sit magna; olim autem civitates non erant magnae et etiam hodie plures civitates episcopales non sunt magnae) erat plus minusve in iisdem circumstantiis ac nunc parochus facultate administrandi confirmationem praeditus. Qui autem Episcopus tunc temporis unquam administravit hoc Sacramentum personae moribundae et praecipue infanti moribundo? Omnes ni fallor admittebant obligationem administrandi hoc Sacramentum sic esse intelligendam ut sufficeret periodice dare occasionem recipiendi hoc Sacramentum et de cetero qui interim moriebatur, moriri permittebatur absque hoc Sacramento. Omnes, dico. Non solummodo ipsi Episcopi. Hoc iam esset factum in doctrina morali minime negligendum. Nam Episcopi, praecipue omnes simul, sunt latores doctrinae sacrae, quae conservatur et nobis innotescit traditione et praxi praecipue episcoporum. Sed etiam theologi atque doctores. Qui doctrinam eorum perlegit videt eos docere episcopos debere quoad hoc bene exercere officium suum et eos hoc facere, si saltem intra quinque annos dioecesim perlustrant omnibusque fidelibus certam aetatem habentibus (ante Pium X hoc erat aetatem 12 annorum) praebeant occasionem recipiendi Sacramentum Confirmationis. Obligatio erga personas singulas non admitebatur. Episcopus faciens quod hodie in Codice statuitur censebatur adimplere suas obligationes relate ad hoc Sacramentum. Si hisce peractis aliquis manebat aut moriebatur absque hoc Sacramento, sive adultus sive praecipue infans infra 12 annos, etiam in loco vel

paroecia ubi Episcopus habitabat, hoc non respiciebat obligationes Episcopi. Ipse fecit quae facere debebat vi sui officii [5].

c. Imo, non defuerunt theologi qui propugnabant sententiam quod Episcopus nullam habet obligationem, ne levem quidem, administrandi hoc Sacramentum . Et hi erant auctores solidi seu probati et minime laxistae, sicut Bouix [6]. Etiamsi haec opinio sit communiter reiiecta, factum quod ab auctoribus probatis etsi paucis est propugnata revelat quod circa gravitatem huius obligationis iam in genere doctrina non erat certa et clara, minime si agatur de obligatione administrandi personis singulis.

3. Ad gravitatem rei seu ipsius administrationis huius Sacramenti quod attinet relate ad personas moribundas (cui correspondet gravitas omissionis) haec adhuc sunt consideranda. Si administratio huius Sacramenti personae moribundae illud recipere cupienti et etiam infantibus, qui supponuntur hoc desiderare non capaces manifestare voluntatem, est tanti valoris ut sermo esse debeat de obligatione sub gravi, quomodo tunc explicari potest S. Sedem per tot (plus minusve 15) saecula sustinuisse praxim in qua inevitabiliter omnes infantes destituti manebant possibilitate recipiendi hoc Sacramentum ante mortem, et praeter infantes adhuc plures alii? Hoc fortiter videtur confirmare sententiam quae non admittit obligationem gravem relate ad personas singulas.

4. Omnibus his consideratis et perpensis mihi quaero: quomodo explicari potest gravem obligationem, quam relate ad administrationem personis singulis neque Episcopi neque moralistae admiserunt vel propugnaverunt, nunc ortam esse ex solo facto quod potestas administrandi hoc Sacramentum in periculo mortis extensa est ad parochos? Haec concessio enim nullam in hac materia induxit novitatem *essentialem*. Decretum *Sancti Spiritus Munera* solummodo potestatem, quam prius Episcopi paucique alii habebant, extendit ad plures alios. Paroeciae nunc versantur in iisdem adiunctis (quoad casus periculi mortis) ac antea civitates ubi habitat Episcopus. Et etiam nunc non provisum est dictae necessitati modo, quem expectare possumus si revera ageretur de re tanti valoris spiritualis. Nam etiam parochus non potest semper praesens esse in sua

---

[5] Numquam, neque in iuventute mea in doctrina catechetica neque postea in cursu theologico unquam audivi obligatorium esse ut infantes moribundi recipiant Sacramentum confirmationis, ita ut saltem pro posse sacerdotes, parentes, infirmarii, etc. curam de hac re habere debent. Neque unquam audivi parentes a parochis aliosve curam animarum habentibus de hac obligatione esse eruditos; ne quidem si habitent prope domum Episcopi.

[6] De episcopo, II, p. 213. Vide Cappello De Sacr. Confirm. n. 208.

paroecia; legitime per aliquod tempus quolibet anno abesse potest et practice abest; etiam parochus est homo subiectus aegritudinibus, quae eum adstringunt lectum tenere vel curam peragere extra paroeciam; etiam parochi senescunt ita ut non sint amplius capaces ministerii opera exercere et ad normam iuris obtineant vicarium adiutorem. Sed neque vicarius adiutor neque vicarius substitutus gaudet facultate administrandi Sacramentum confirmationis. Quomodo componi possunt haec duo: obligatio parochi est gravis et deinde potest abesse a paroecia, quin detur aliqua possibilitas providendi ut adimpleatur haec obligatio; et hoc non per accidens, sed quia Legislator ecclesiasticus non iudicat necessarium in hisce providere?

5. Gravitatem obligationis administrandi deducere ex valore intrinseco effectuum Sacramenti Confirmationis aut, quod in idem redit, ex gravitate damni spiritualis quod patitur persona quae hoc Sacramentum non recipit, est opus valde speciosum. Agitur enim de aestimando valore *rei supernaturalis*. Ad ferendum iudicium veri valoris debemus prius statuere criterium solidum, quo res spirituales rationabiliter distinguuntur in res magni et res parvi valoris. Si enim praemittamus quamlibet rem spiritualem esse magni valoris, quaestio ipsa evanescit. Assertio haec *in aliquo sensu* vera est, sed non in sensu in quo nunc loquimur de *re magni valoris*.

Errant, ni fallor, qui ad quaestionem trahunt aeternitatem. Minimus actus meritorius habet effectus qui mensurantur aeternitate. Etiam in hac consideratione quaestio nostra evanescit.

Mihi videtur quod oportet quaerere: quid sit effectus *proprius* Sacramenti confirmationis recepti, resp. administrati? Responsio a theologia data est certa et clara. Effectus huius Sacramenti est gratia *sacramentalis*, nempe Spiritus Sancti auxilium ad fidem constanter tenendam et profitendam. Charater sacramentalis ad eundem finem seu bonum ordinatur. Hoc sequitur ex natura Sacramenti [7].

Sacramentum Confirmationis cum suis effectibus non est necessarium ad salutem, in hoc sensu quod homo per se absque eo salvari potest. Est valde utile ad salutem aeternam attingendam, in quantum effectus (gratiae) huius Sacramenti hominem adiuvant ad recte vivendum tamquam Christianus, praesertim in cir-

---

[7] Ceteroquin natura propria characteris huius Sacramenti non est nobis ita clare nota, neque eius finis et effectus.

cumstantiis *difficilibus*, quae in vita humana potius sunt regula quam exceptio pro iis qui vivunt in hoc mundo [8].

Ex hac doctrina theologiae traditionalis eruimus: 1. effectus huius Sacramenti, etsi non minime attingunt valorem aliorum Sacramentorum scilicet Baptismi et SS. Eucharistiae pro omnibus, Poenitentiae pro peccatoribus, Extremae Unctionis pro moribundis, tamen eius valor magnus vocari debet pro iis, qui manent in hoc saeculo. 2. pro iis autem qui non manent in hac vita et mox sunt morituri, effectus huius Sacramenti non est magni valoris. Habet certum valorem, sed non proprie magnum, in sensu in quo nunc intelligimus hoc verbum. Finem enim proprium scilicet: *fidem constanter tenere et fortiter pugnare contra inimicos fidei et vitae christianae*, ipsi non amplius prosequi possunt (nisi periculum supervivant, sed tunc datur occasio eis adhuc administrandi Confirmationem). Ad superandas difficultates proprias moribundis, Christus Dominus aliud instituit Sacramentum, Extremam Unctionem, cui tamquam *Sacramenta morientium* adduntur Absolutio Sacramentalis et SS. Eucharistia tamquam Viaticum. Haec semper vocata sunt Sacramenta morientium seu ultima Sacramenta. Confirmatio non inter ea computatur.

Nonne quae hic dicta sunt, constituunt fundamentum doctrinae traditionalis et praxeos Ecclesiae circa administrationem Sacramenti Confirmationis? His admissis, omnia explicari possunt et fiunt clara. Sed tunc sequitur ut administratio huius Sacramenti proprie ut actus *debitus personae singulae* non est materia gravis, cuius omissio per se est peccatum mortale.

Legimus apud Fanfani: « utrum rationabiliter petere dicendus sit moribundus non confirmatus? Resp. Affirmative, per se loquendo. Quia tamen hoc pro Episcopo fere numquam caret incommodo et quidem gravi, practice dicendum est quod excepto periculo scandali vel gravis perturbationis animorum stricta obligatio respondendi semper moribundorum petitioni non existit. Eo vel magis si agitur de locis in quibus consuetudo non viget ministrandi Sacramentum confirmationis infirmis. Pro presbyteris (parochis) aequali modo urget, ut nobis videtur ac de Ordinariis pro suis subditis dictum est [9].

---

[8] Simul tamen constat ad vincendas huiusmodi difficultates fideli praesto esse etiam alias fontes gratiae, praeprimis SS. Eucharistiam seu panem *fortium*, Baptismum, orationem, etc.

[9] Textus videtur conscriptus quadam negligentia et absque debita attentione ad verba. Praeprimis auctor loquitur ac si « rationabiliter petere » dependet ab

Mihi videtur quaestionem de parochi obligatione eiusque gravitate, alio modo esse solvendam. Debemus non procedere a quolibet casu *singulo* et de iure personarum *singularum*. Obligatio iustitiae quae parochum gravat non est eiusdem indolis ac obligatio iustitiae qua e. g. medicus tenetur qui non habet officium. Obligatio medici oritur ex contractu (saltem implicito) quo se obligat *erga hunc aegrotum* ad curandum eum. Obligatio haec nititur actu *singulo* inter se et patientem. Cum parocho res aliter se habet. Parochus instituitur in suum officium quod acceptat. Obligatio quae ex hoc facto oritur est obligatio bene exercendi suum officium. Nemo negat hoc etiam includere obligationes iustitiae erga singulos homines, paroecianos et peregrinos in paroecia commorantes, imo et erga acatholicos [10]. Sed indolis huius obligationis non est idem ac indolis obligationis quae oritur titulo qui est actus inter parochum et aliquam personam singulam. Parochus habet obligationem dandi absolutionem validam personae quae ad eum sedentem in confessionali peccata sua confessus est (parochus libere incoepit negotium) et habet obligationem dandi absolutionem validam personae qui legitime petit ut possit confiteri. Sed prima obligatio est alia et gravior. Haec obligatio oritur ex solo officio suo; illa insuper ex actu (quasi-contractu) parochi erga poenitentem; ex actu scilicet quo incepit audire confessionem huius viri, quo quasi-contractu implicito se obligat ad bene tractandum totum « negotium ».

Haec est etiam ratio ob quam parochus potest non respondere petitioni legitime factae, si in ecclesia adsit vicarius cooperator vel alius sacerdos paratus ad audiendas confessiones [11]. Obligatio iustitiae quae parochum gravat directe est ad bene exercendum suum officium pastorale. Ad quos actus erga fideles singulos hoc ducat, in casu concreto, hoc deduci debet ex iure canonico et doctrina

---

incommodo ministri in respondendo petitioni. Auctor proprie perhibet moribundos ante 1946 non potuisse *rationabiliter* petere hoc Sacrameutum, quia administratio pro Episcopo, solo ministro competenti, fere numquam carebat incommodo et quidem gravi. Mihi videtur quis rationabiliter petere posse, etsi grave incommodum excusare possit ab adimplendo rem petitam. Insuper, auctor negat « obligationem respondendi *semper* »; sed intendit approbare praxim *fere numquam* administrandi moribundis. Hoc est omnino aliquid aliud. Deinde, inducit consuetudinem loci. Sed haec consuetudo est mala, si agatur de obligatione quae nititur natura rei seu valoris intrinseci huius Sacramenti.

[10] Canon 1350, § 1.

[11] Non loquimur nunc de casu exceptionali, in quo aliquis legitime peteret confiteri *proprie apud parochum*. Hoc fieri potest ob rationes omnino speciales. Sed parochus non tenetur hoc admittere, nisi alius hoc dicat.

morali, (de obligationibus status). Obligationes *pro parte* quidem deducere possumus ex indole seu natura officii pastoralis et paroecialis, sed minime *ex toto*. Res etiam dependet ab iis, qui hoc officium instituerunt, a lege positiva, a iure consuetudinario.

Quoad administrationem Sacramentorum obligatio a moralistis sic describitur: « tenetur administrare Sacramenta fidelibus legitime petentibus ». Verba « legitime petentibus » sane non eminent exactitudine neque claritate. Sed in contextu sensus patet. Legitime petit qui ita petit ut parochus petitioni non satisfaciens censetur non adimplere bene officium suum. Hic conceptus « legitimae petitionis » clare est substratum responsionis ipsius Fanfani, modo allatae. Moribundus rationabiliter petit iam quia est moribundus. Sed tunc non habetur « rationabiliter petere » simpliciter dictum. Habetur « rationabiliter petere » ex parte petentis. Ut habeatur rationabiliter petere simpliciter, res etiam considerari debet ex parte ministri seu Episcopi utpote officium habentis vi cuius nequit in quolibet casu adire moribundum eique administrare Confirmationem. Ex hac parte considerata, ita prosequitur Fanfani, petitio est fere semper non rationabilis seu legitime facta, nam dare hoc Sacramentum moribundo fere numquam caret incommodo et quidem gravi [12].

Agitur de statuendo quid parochus in hac re facere debeat, ut saltem non graviter negliget obligationes sui officii (sui status).

In iure canonico habemus textum Decreti *Spiritus Sancti Munera:* Presbyter... obligatione tenetur Sacramentum hoc illis, quorum in favorem est concessa facultas, rite et rationabiliter petentibus conferendi.

Haec verba doctrinam modo expositam potius confirmant et aliis quidem verbis eam breviter enuntiant potius quam explicant [13]. Circa gravitatem obligationis Decretum tacet. Quid sit rite et rationabiliter petere etiam nihil declarat. Verba Decreti non necessario interpretanda sunt de obligatione gravi. Nihil nobis impedit, imo tota res suggerit ut verba « rite et rationabiliter petere » intelligamus in sensu relativo, i. e. ratione habita cum statu ministri « Nam cum Legislator Decreti optime sciat doctrinam theo-

---

[12] Nonne etiam dici potest quod persona, quae per totam vitam neglexit recipere hoc Sacramentum propter levem incommodum quod cuilibet actui alicuius momenti adnexum est, irrationabiliter petit moribundus? Hoc non valet de Sacramentis morientium, ut patet; nam haec tempore mortis magis necessaria sunt et urgentia. Sed Sacramentum confirmationis nemini est minus necessarium quam proprie morientibus.

[13] Sunt eadem verba, quae leguntur in canone 785. (vide supra, n. 3).

logorum et canonistarum in hac materia, probabile est, ne dicam certum, verba haec habere sensum quo conveniunt cum hac doctrina et praxi vigenti ab antiquissimis temporibus.

Quid concludendum?

Meo iudicio formula qua Fanfani doctrinam proponit quoad substantiam admitti et approbari potest. In aliquo puncto tamen deficit. Nimia generalitate et simplicitate declarat omnia quae de Episcopo dicuntur in hac re etiam valere de parochis. Hoc non videtur verum. Nam si non semper, tamen communiter parochi sub hoc aspectu non sunt aequiparandi Episcopis, cum saepe eorum territorium est exiguum et numerus personarum ipsis commissis restrictus.

Ex alia parte opinio in qua admittitur obligatio sub gravi et solummodo additur « tamen non arguendum est de peccato gravi parochus qui semel vel bis administrationem huius Sacramenti negligit » videtur nimis severa et non iustificata doctrina et praxi antiqua Episcoporum.

Mihi dicendum videtur parochum non peccare si tali modo hanc suam muneris sacri partem adimplet, ut nemo rationabiliter dicere possit eum non agere ut bonum pastorem et parochum, a. v. eum notabiliter negligere suum officium. Ad quod hoc ducit in casibus concretis dependet ab adiunctis tam paroeciae quam ipsius parochi. Ab aliis obligationibus quas tamquam parochus habet; ab auxilio quod habet a vicariis cooperatoribus; a statu salutis ipsius parochi. Parochus non tenetur sola obligatione dandi confirmationem moribundis! Imo habet multas obligationes quae sunt graviores. Officium suum multa comprehendit. Ipse debet ad multas res suam dare attentionem et vires. Prudentia eum suggerit non se exponere serio periculo laedendi suam salutem physicam sine qua nequit obligationes suas adimplere. Si nocte intempesta exeat ad Confirmationem administrandam infanti morienti et contrahat aegritudinem praetereuntem sed per mensem durantem, per totum mensem nequit neque alia officia paroecialia adimplere, et etiam plures infantes morientur non confirmati, quia nemo alius datur in paroecia qui hoc Sacramentum administrare potest.

Corollarium.

Difficultas proprie urget in casibus plus minusve aequalibus casui Eduardi. Difficultas iam notabiliter diminueretur si parochis concessa esset facultas administrandi hoc sacramentum propriis

subditis ubique terrarum seu etiam extra territorium propriae paroeciae, in analogia cum potestate absolvendi a peccatis (c. 881 § 2). Praesertim in civitatibus magnis ubi nosocomia non sunt paroecialia, sed accipere solent aegrotos omnium civitatis paroeciarum, huiusmodi concessio esset utilis, necessitati practicae optime adaptata. Sic praecaveretur ne onus proprie gravet unum parochum, cum agatur de multis personis quae non pertinent ad suam gregem.

Pro huiusmodi casibus datur etiam alia solutio. S. Sedes non negat facultatem administrandi Sacramentum Confirmationis presbyteris qui sunt rectores nosocomii similisve instituti, in quibus mors praesertim infantis aut iuvenis non adhuc confirmati non est casus rarus. Quandoque indultum datur directe rectori, quandoque S. Sedes concedit Ordinario loci indultum, vi cuius potest hanc potestatem delegare huiusmodi sacerdotibus.

Scripsi hanc disceptationem non eo fine ut meam hanc sententiam proponam tamquam ita certam ut quilibet possit eam tenere et sequi propter solam meam *ut aiunt* auctoritatem. Finis potius est ut rationes subiiciam iudicio moralistarum et canonistarum, ut collaboratione perveniamus ad doctrinam solide fundatam et rationibus validis fulcitam.

Dr. L. Bender O. P.

DE SOCIOLOGIA ET CURA ANIMARUM

Periodicum « Anima », editum Friburgi Helvetiae a Prof. Fr Xav. von Hornstein et a Rectore Seminarii Emmenegger, publicavit in n. 1 h. a. (1957) specialem tractatum huius tenoris: « Soziologie und Seelsorge » (sociologia et cura animarum).

Ad instar Introductionis von Hornstein sequentia elementa exponenda censuit: Sociologia religiosa est novissima scientia, cuius obiectum est cura animarum. Prout omnis recens scientia subiecta est censurae, ita etiam Sociologia religiosa; quae censura quandoque auctores conduxit ad temerarias conclusiones, quamvis radix huius scientiae posita sit in verbis Evangelii S. Lucae, cap. 14. v. 27. Quae verba applicata requisitis modernae curae animarum conducunt ad conclusionem: actio moderna pastoralis, prout est in consiliis divinis, postulat antecedens seriumque examen condicionum socialium. Cura pastoralis priorum temporum obligavit pastores animarum ad conficiendos libros parochiales circa baptismata, sacramentum Confirmationis, matrimonia, statum animarum. Solummodo inter a. 1900 et 1914 decisiva mutatio facta est in campo religiosae Statisticae: in Gallia opera Calvet, in Germania P. Krose S. I.; in Italia de Rossi, in Austria Svoboda. Sed eventus non correspondit exspectationi; nam pastores animarum non exhibuerunt studium desideratum; insuper tota motio fuit nimis dependens a speculatione theologica. Unde scientia pastoralis relate ad alias scientias religiosas sese exhibuit claudicantem. Quare magnus quidam apostolus declaravit: « ex eo moriemur, quod non procedimus ex veritate fidei et ex veritate vitae ». Officium Sociologiae pastoralis in eo consistit, ut conferat pastoribus animarum accuratam cognitionem parochianorum suorum necnon obstaculorum curam animarum impedientium et mediorum salutem animarum promoventium. Unde desiderandum est, ut Sociologia pastoralis colatur a viris, qui non solum gaudent exercitio pietatis, sed etiam in vita practica versati sunt. Pastores animarum tardo tandem perspexerunt momentum huius scientiae opera auctorum, prout Le Bras et Boulard. Novissime plures Universitates et scholae superiores scientiae socialis erexerunt cathedras speciales pro docenda Sociologia religiosa; ex anno 1948 copiosae Conferentiae internationales pro colenda Sociologia religiosa celebrantur.

Sed quidam obiciunt hanc difficultatem: nonne Sociologia religiosa actionem pastoralem, quae ex natura sua est mysterium gratiae, aestimat ponderatque iuxta numeros, quantitates, qualitates

mere naturales? Nonne modus tractandi curam animarum sub ratione sociologica privat ipsam suo charactere supernaturali? Auctor respondet: vita religiosa et pastoralis cuiuscumque characteris sese manifestat per phaenomena, quae etiam in sua sublimissima religiosa et inde in sua sublimissima supernaturali forma observari possunt. Exemplo sint: si receptio sacramentorum efficit in anima actionem divinam, observare poteris, qua mensura membra parochiae ad s. sacramenta confugiunt, determinare poteris, utrum certae rationes materiales parochianos ad receptionem sacramentorum impellant, utrum plus minusque frequenter ad ipsa accedant; eruere poteris, utrum vicinitas ecclesiae suum influxum salutarem in receptionem sacramentorum exerceat; observare poteris, qua frequentia satisfaciunt praecepto audiendi missam die dominico illi, qui distant ab ecclesia quinque, decem, triginta minuta; item observare poteris relationem inter intensitatem vitae religiosae et frequentiam divortiorum. Quae exempla allegata sunt *visibilia* facta. Etsi quis actionem divinam in vita pastorali agnoscit, tamen quaestio proponi poterit: quo modo et qua mensura haec eadem actio divina sese manifestat in sociali vita pastorali?

Utique cavendum est, ne in mensura exaggerata omnia facta pastoralia redigantur in certam disciplinae formam et modum. Ad hanc difficultatem respondendum erit: Sociologia religiosa magis intendit totum complexum vitae pastoralis cognoscendum quam studium psychologicum singularium personarum instituendum. Sociologiae interest parochia investiganda sub ratione geographica, demographica, oeconomica: ipsa inquirit in compositionem familiarum, in vocationes singulorum decanatuum, dioecesis. Sine dubio perplurimum interest pastoris animarum instituere huiusmodi investigationes in utilitatem parochianorum et concludere salubres conclusiones. Tandem obicitur Sociologiae pastorali indiscretio ratione factorum publicatorum, quae ex ratione honestatis convenienter sub silentio tenentur. Ad hanc obiectionem von Hornstein respondendum censet: nostro tempore tentatio gravissima est occultandi quaedam facta disciplinam pastoralem respicientia, quae convenienter publici iuris fiunt. Sonatne indiscretionem, si quis publicat sequens factum: in quodam collegio pro formatione clericali destinato degunt 449 scholares; notabilis pars renuntiat vocationi sacerdotali hisce ex rationibus: ipsis sese revelat celsitudo matrimonii, iuvenis puella in cor candidati intravit, difficultas coelibatus casti ipsos absterret? Huiusmodi publicatio autem pretiosa est pro directione spirituali futurorum alumnorum Seminarii. Sociologia non est tam temeraria, ut huiusmodi factis imprimat characterem infallibilitatis; possunt verificari errores; nihilominus gaudent suo

valore. Nam manifestant *concretam* condicionem campi, intra quem exercemus curam animarum, intra quem divina gratia ex parte sua suum influxum exercebit.

Finge sequentem casum: in quodam pago vitam agunt exclusive catholici in hoc sensu: omnes profitentur fidem catholicam; nemo autem suspicionem haeresis subit. Nihilominus incolae vivunt, communiter loquendo, vitam incredulam et immoralem. Ex hisce concludes: non est certum confessionem religiosam exercere suum influxum in hominem profitentem hanc confessionem, quin ipsam in vitam practicam deducat. Ut pastor animarum sibi clarum conceptum de influxu religionis in moralitatem formare possit, rationem habere debebit diversis categoriis parochianorum iuxta intensitatem exercitii religiosi.

Optimo iure affirmari poterit: phaenomenon religiosum, in quantum phaenomenon, sacerdotibus ne a longe quidem satis notum est et monet ad crescens semper studium, prout Pius XII in suis allocutionibus ad parochos Urbis et concionatores sacri temporis quadragesimalis postulat (6. II. febr. 1951 et 10. III. 1955. A.A.S. vol. 43 p. 112-118; vol. 47 p. 212-217).

Themata in periodico tractata intendunt modum illustrandum, quo Sociologia inire possit coordinationem cum cura animarum. Sub hac ratione crescens studium pro Sociologia religiosa fundatum est. Sine dubio erraret quis credendo hanc scientiam per se solam omnia declarare et reformare. Sed hoc saltem concedendum est: haec scientia novos aspectus revelat et introducit in campum laboris per saecula incultum.

Themata in hoc primo numero a. 1957 tractata sunt sequentia: Norbertus Greinacher exponit evolutionem et statum modernum Sociologiae religiosae. Circa hoc studium in Italia auctor scribit: in Italia Sociologia religiosa ultimis annis notabilem impetum sumpsit, imprimis per laborem scientificum illorum Institutorum, quae sese dedicant quaestionibus Sociologiae religiosae evolvendis. « Instituto di scienze sociali » in Universitate Gregoriana a P. Doulers fundatum est. Institutum eiusdem nominis in Universitate internationali « Pro Deo » a P. Grasso initiatum est. Simile Institutum invenies verificatum in Facultate theologica Mediolanensi, duce D. Rimoldi. Augustae Taurinorum conditus est « Il gruppo di ricerche di sociologia religiosa » (Torino 1956); idem auctor edidit studium « Gioventù di metà secolo » Roma 1954. Haud praetereundum opus A. Lioni: « Sociologia religiosa e azione pastorale » (Roma 1955). Novitate rerum laetissimae sunt investigationes circa dioceses Mantuanam (A. Leoni, Sociologia e geografia di una

diocesi, Roma 1952) et Volaterranam. Fructifero adiutorio est « Annuario delle Diocesi d'Italia 1951 » (Torino 1951). Die 11 et 12 martii 1954 Mediolani celebrabatur « il primo congresso italiano di sociologia religiosa »; qui conventus promittit bonum successum. Multam attentionem excitavit relatio Cardinalis Bononiensis Lercaro de « compiti, fini, limiti della sociologia religiosa » (publicata in « Vita et Pensiero » aprile 1954, 183-189). Tandem commemoranda est inquisitio circa quandam parochiam Romanam, elaborata a sorore Maria-Agnete (Orientamini Sociali 9, 1953 nn. 11-23) et investigatio confecta a Burgalassi circa clerum saecularem Italiae (alcune considerazioni sulle statistiche del clero secolare italiano: Atti della V. Settimana Nazionale di aggiornamento pastorale, Genova 1955).

In secundo articulo Werner Schöllgen disserit de iure et necessitate Sociologiae pastoralis iuxta iudicium Theologiae. Sub initium articuli notat: nemo de practica utilitate Sociologiae dubitabit. Sed optimi quidam inter pastores animarum, qui gaudent cultura theologica, quasdam anxietates, quaedam dubia sentient: timent enim novum Pelagianismum, seductionem ad illam mentalitatem, quae unice respicit successus externos, timent vitam ecclesiasticam in formam mere administrativam sese evolvendam, timent systema inspectorum. Ad quas difficultates respondendum erit a competente auctoritate.

Subsequens articulus, auctore Gabriele Le Bras, respicit relationem inter Theologiam pastoralem, ius canonicum et inter Sociologiam. Primo evolvit auctor vim iuris canonici quaeritque: quid potest Sociologia praestare pastori animarum? Sacerdos iuvenis, qui terminatis studiis valedicit Seminario, coelum melius cognoscit quam terram. Theologia ipsi revelavit qualitates Dei et communionem Sanctorum; sed rara occasione cognoscendi homines gavisus est. Unde, vocatus ad curam animarum, primo debet habere perspectum suum gregem, cui regimen supernaturale et praedicationem Verbi divini tribuat oportet. Sociologia est scientia, quae ipsi subministrat propositum, rationem, methodum. Licetne mihi, ita auctor, in memoriam revocare hanc elementarem veritatem: cura animarum non consistit in simplici fidelitate in Orthodoxiam, non in Liturgia, non in iure canonico. Cura animarum est communicatio, est transfusio, est contactus, est accomodatio post accuratam analysim ad illum hominem, quem lucrifacere studet. Le Bras pronuntiat hoc axioma: una ex gravissimis causis, quae causarunt regressum religionis christianae, est defectus accommodationis. Millia atque millia narratiuncularum assertum probare poterunt. Ce-

leber quidam archivarius quaesivit rationem huius facti: numerus visitatorum ecclesiae parochialis magis magisque diminutus est. Circa a. 1900 obvium habuit parochum magnae virtutis et profundae scientiae, qui suos auditores exhausit et consumpsit. Quomodo? singulis diebus dominicis explicavit scientiam theologicam per unam plenam horam. Quis ex nobis non innumeris vicibus sensit hunc defectum communicationis inter clericos et laicos? Sine dubio sana mens humana plus valet quam omnia studia; sed numquam poterit supplere studium clericis necessarium. Sacerdos, qui via et ratione curam animarum exercere studet, primo sibi acquiret « globalem contactum » — verba P. Lebret — cum suo grege i. e. curabit, ut conspectum generalem de structura parochiae eiusdemque vita profana et religiosa obtineat. Lentim sibi creabit geographiam et descriptionem, indolem, mores parochiae; singulas familias, diversos ordines classium, loca fabricarum, occupationes tempore libero conscripta habebit; cognitos vult habere viros maioris influxus, centra et media rerum longe lateque divulgandarum, diaria, periodica; tandem observabit vias parochianorum ante et post laborem.

Ludovicus Neundorfer indicat methodos Sociologiae pastoralis et Iacobus David considerat influxum, quem condiciones soci les exercent in ipsam religiositatem. Cuius influxus Ecclesia catholica semper sibi conscia fuit. Unde studiosissima fuit non solum singulis individuis instruendis, sed universae vitae publicae, sociali, politicae, hominum officiis, cultui atque humanitati imbuendis spiritu vere christiano. Studia proprie dicta de relatione condicionum socialium ad religiositatem solummodo ultimis tribus decenniis instituta sunt. Auctor commemorat volumen notabile P. Bernardi Haering C.S.S.R. « Macht und Ohnmacht der Religion » (= virtus et imbecillitas religionis). Prima pars (theoretica) quasi exclusive illustrat influxum religionis in formandam societatem humanam; altera vero pars (practica) ante oculos ponit influxum, quem condiciones sociales exercent in religionem. Qui Iacobi David articulus est sat instructivus pro cura animarum.

Nominatus B. Bernardus Haering tractat deinde propositum: Sociologia pastoralis et cura animarum. Auctor sub finem sui memorandi articuli suppeditat in sex numeris formam sat extensam parochiae describendae. Praeliminaria: nomen parochiae, nomen communitatis civilis; nomen et habitatio parochi, numerus telephonii. Ex quo tempore in parochia? Quot sacerdotes adiuvant parochum? Quale officium occupant? (catecheta, capellanus, vicarius?). Primo proponitur historia parochiae cum suis faustis et in-

faustis vicissitudinibus; secundo describitur situs et ambitus parochiae (situs geographicus, situs ecclesiae parochialis, scholarum elementarium, numerus civium, catholicorum, acatholicorum, incrementum ex ultimo decennio). Tertio exhibetur elenchus aedificiorum ad fabricam ecclesiae parochialis pertinentium aut saltem pro usu concessorum. In numero quarto delineatur structura communitatis parochialis (classes sociales, fugitivi, labor foeminarum). Deinde investigatur in condicionem religiosam parochiae (visitatores ecclesiae, receptio sacramentorum, matrimonia, divortia, partus, baptismi, mortui, ultima sacramenta, apostasiae, conversiones, reconciliationes, formae apostolatus sub diversa ratione); tandem centra influxus positivi et negativi (certa loca, organizationes, societates, editio librorum, periodicorum, diariorum, influxus acatholicorum). Parochus talibus elementis munitus eisque usus exercere poterit fructiferam modernamque curam animarum.

R. Burdet illustrat Sociologiam religiosam et psychologicam operariorum et Jacques Leclercq ultimo loco viam practicam sternere studet pro applicanda Sociologia in vita pastorali.

D. G. Oesterle O. S. B.

JUS ECCLESIASTICUM

ITALIA

OSSERVAZIONI SULL'AUTONOMIA DELLA CHIESA IN MATERIA SACRAMENTARIA E SULLA LEGISLAZIONE ECCLESIASTICA NEI CONFRONTI DEL COMUNISMO.

(nota a sentenza della Pretura di Castiglione dei Pepoli, in data 3 novembre 1954.

(*Omissis*).

Fatto. — Con atto in data 2 giugno 1954, confermato lo stesso giorno dinanzi alla Polizia giudiziaria, don Antonio Borsi sporgeva formale querela, ai sensi dell'art. 594 c. p., contro Lorenzoni Carolina Maria per avergli questa rivolto parole ingiuriose come « porco, farabutto, delinquente, maleducato » ecc. Espletata istruzione sommaria nel corso della quale il querelato confermava la querela e venivano sentiti: l'imputata che riconosceva di aver ingiuriato il querelante e deduceva che le frasi oltraggiose rivolte al parroco Don Borsi erano dovute al risentimento per il fatto che a sua figlia Venturi Anna era stata negata la Comunione ed inoltre al risentimento per il fatto che don Borsi da molto tempo aveva in varie occasioni oltraggiato i membri della sua famiglia. Dichiarava inoltre che sia la figlia Anna che altri membri della famiglia erano religiosi e praticanti. Il querelante dichiarava inoltre che non gli risultava in modo certo l'appartenenza della Venturi Anna ad organizzazioni giovanili comuniste; che non sapeva se a Sparvo esistesse l'A.p.i.; che la Venturi Anna aveva manifestato spesso pubblicamente di professare le idee comuniste; che in occasione delle feste dell'Unità essa aveva distribuito coccarde e giornali; che la sua famiglia era tra le più accese comuniste; che egli in varie occasioni aveva beneficiato la famiglia dell'imputata. Il teste don Giuseppe Gubellini confermava che alle ore 14,45 circa dell'11 giugno 1954 l'imputata aveva ingiuriato il querelante; Venturi Anna dichiarava di non essere comunista e di avere partecipato alla festa dell'Unità come partecipava a tutte le altre. (*Omissis*).

Diritto. — L'imputata stessa ha ammesso di avere ingiuriata la persona di don Antonio Borsi, deducendo però di aver commesso il fatto agendo per risentimento contro il Sacerdote che aveva negato la Comunione alla propria figliola Venturi Anna di età, al-

l'epoca del fatto, di anni 15, affermando che la stessa aveva partecipato ad attività del Partito comunista.

Rileva il giudicante che secondo la difesa tale tesi porterebbe ad escludere la punibilità dell'imputato per aver essa, in istato d'ira, reagito ad un fatto ingiusto obiettivamente del querelante (articolo 599, cpv., c. p.), o ad un fatto ritenuto dall'imputata stessa ingiusto (provocazione putativa art. 599, cpv., in relazione all'art. 59 cpv., c. p.).

Rileviamo anzitutto che il don Borsi agì applicando il Decreto della Suprema Sacra Congregazione del Santo Ufficio in data I° luglio 1949. Tale decreto, come si evince dalla sua forma, non è un testo legislativo, ma una dichiarazione con la quale la Suprema Sacra Congregazione risponde a quesiti circa l'applicazione di norme di diritto canonico dandone, per così dire, l'interpretazione autentica.

E' fuor di dubbio che il giudice italiano non può interferire nella interpretazione e applicazione di norme appartenenti ad altro ordinamento giuridico (Chiesa Cattolica Romana) e nel suo ambito. Ma quando, come nella fattispecie, venga invocato come esimente da una pena comminata dall'ordinamento giuridico italiano per un certo reato, il fatto di un Ministro del culto che può essere giusto o ingiusto, a seconda che egli abbia rettamente o meno applicato norme appartenenti all'ordinamento giuridico positivo della Chiesa Cattolica Romana, il giudice è indubbiamente facoltizzato ad accertare se il fatto ingiusto sussiste o meno, se cioè quella legge fu bene o male applicata.

L'applicazione delle norme di un ordinamento giuridico diverso spetta indubbiamente alle persone che, secondo quell'ordinamento giuridico ne sono investite e nell'ambito di quell'ordinamento il loro operato non può venire in alcun modo sindacato, ma quando un provvedimento adottato in tale ambito può incidere nell'ordinamento giuridico italiano e vi incide in quanto viene invocato come esimente da pena se ingiusto, allora il giudice italiano può indubbiamente accertare la corrispondenza tra il provvedimento stesso e la legge di quell'ordinamento, al fine di accertare se l'esimente sussiste o meno. Egli non può esimersi da tale esame sole perchè il provvedimento non appartiene al nostro ordinamento giuridico, perchè ciò non esclude che esso possa di fatto essere ingiusto ed arbitrario e perciò far sussistere quella esimente che viene invocata.

Rileviamo che il decreto citato risponde: « *che non è lecito iscriversi ai Partiti comunisti e dare ad essi appoggio e che non è lecito pubblicare, diffondere o leggere libri, periodici, giornali o*

fogli volanti che sostengono la dottrina o la prassi del Comunismo, o callaborare in essi con degli escritti ». Lo stesso decreto risponde che non possono essere ammessi ai Sacramenti i fedeli che compiono tali atti consapevolmente (*scienter*) e liberamente.

Si evince dal testo che non tutti coloro che abbiano compiuto le attività descritte vanno allontanati dai Sacramenti, ma soltanto coloro che le abbiano compiuto « *consapevolmente e liberamente* ».

E' sulla prima definizione (consapevolmente) che va richiamata la nostra attenzione. Si è voluto che un provvedimento di tale gravità, in quanto colpisce chi viene allontanato dai Sacramenti non solo privatamente ma pubblicamente, in quanto i provvedimenti del genere (anche nella fattispecie) vengono adottati pubblicamente, colpendo chi ne è toccato con un marchio di cui tutti vengono a conoscenza, venisse diretto non indiscriminatamente contro chiunque esercitasse una attività tra quelle indicate, ma solo contro coloro che la esercitano consapevolmente, rendendosi conto cioè di adoperarsi affettivamente a favore di un'idea contraria all'ordinamento e ai principî della Chiesa Cattolica, coscienti di questa idea e della sua portata, soprattutto nel suo contenuto, e perciò coscenti anche delle conseguenze cui si espongono coltivandola volontariamente, pubblicandola, diffondendola. L'esame circa la sussistenza di tale consapevolezza è indubbiamente un esame di fatto, tuttavia il giudicante ritiene che tale nozione non possa sottrarsi ai principî generali che in ogni ordinamento giuridico regolano e determinano quando l'uomo abbia la capacità di intendere e di volere e di agire con la piena cosienza delle sue azioni.

Fra tali principî generali vi è anche quello, logico del resto, dell'età. In tale materia l'ordinamento giuridico della Chiesa e la morale non stabiliscono, a differenza di altri ordinamenti, un limite di età al di sopra o al di sotto del quale debba presumersi o escludersi la imputabilità. Si ritiene che una persona sia imputabile quando è responsabile. Con ciò non si deve concludere che sempre l'esame della imputabilità vada fatto caso per caso, quando, come nella fattispecie, la consapevolezza non riguarda una distinzione fra ciò che è bene e ciò che è male, ma la coscienza piena di un'idea come quella marxista, del suo contenuto e dei suoi fini, si può e si deve generalizzare e concludere che solo un uomo nella sua maturità intellettuale può venirne ritenuto consapevole e non certo una bambina di 15 anni.

Ma anche se non si volesse ritenere il fatto del Don Borsi che allontanò la Venturi Anna alla Comunione, ingiusto obbiettivamente (come riteniamo di aver dimostrato) e perciò giustificata la rea-

zione della madre della bambina che ingiuriò il querelante, il giudicante ritiene che esso debba ritenersi almeno soggettivamente ingiusto, giungendo così alle medesime conclusioni.

Infatti l'imputata potè ben ritenere che la condotta del Don Borsi nel negare la Comunione alla figliola fosse ingiusta ed arbitraria e ciò sia in considerazione del fatto della giovane età della figliola, di cui già si è detto, sia in considerazione del fatto che essa riteneva che la figliola non meritasse tale trattamento in quanto si avvicinava spontaneamente ai Sacramenti che mai le erano stati negati in precedenza. Sia infine in considerazione del fatto che essa aveva già ragioni di risentimento nei confronti del sacerdote, per avere questi una volta percosso un suo figliolo, altra volta scritto frasi ingiuriose sul quaderno della stessa figliola e così via. Tali fatti essendosi verificati in epoca antecedente non possono venir valutati per comprendere lo stato d'animo in cui veniva a versare l'imputata per la quale l'allontanamento della figliola dall'altare, secondo lei non meritato, dovè sembrare una ingiuria pubblica voluta, in aggiunta alle precedenti.

Risulta è vero che il Don Borsi ebbe nel 1952 a beneficare la Venturi Anna (lettera prodotta dal querelante), ma la manifestazione ingiuriosa del Don Borsi verso la stessa, a lui stesso riconosciuta, è di epoca successiva. Comunque ben si può immaginare lo stato d'ira di una madre alla quale la figliola venga a riferire di essere stata pubblicamente allontanata dall'altare e ben è da ritenere che per le ragioni esposte si venga a formare in lei il convincimento di aver subìto un fatto ingiurioso anche se eventualmente ingiusto non fu.

Circa l'immediatezza della reazione da parte dell'imputata (sia per ipotesi che il fatto debba ritenersi ingiusto obbiettivamente o ingiusto subbiettivamente) riteniamo che tale requisito ricorra indubbiamente.

Per costante giurisprudenza l'immediatezza della reazione non è da intendersi nel senso che questa debba attuarsi nello stesso momento in cui si è verificato il fatto ingiusto o ritenuto tale. Nella fattispecie il fatto stesso si verificò la mattina dell'11 giugno u. s. L'imputata non era presente. Presumibilmente la bambina ritornata a casa ne informò la madre. Poche ore dopo verso le ore 14,45 dello stesso giorno, il Don Borsi transitò davanti all'abitazione della Lorenzoni e alle richieste della Venturi Anna, rispose che questa si rivolgesse in canonica. La madre sentì: era la prima volta che essa vedeva il sacerdote dopo l'evento verificatosi al mattino, il diniego a fornire le informazioni richieste sul rifiuto a somminì-

strare il Sacramento rinnovellò certamente nell'animo della madre quello stato emotivo che d'altra parte non poteva essersi ancora spento e pertanto essa reagì nel modo noto. Pertanto deve ritenersi adempiuta la condizione voluta dalla legge che la reazione sia immediata. (*Omissis*).

La sentenza, che facciamo oggetto delle nostre osservazioni, tocca ad un tempo il problema centrale del diritto ecclesiastico italiano, quello relativo all'autonomia della Chiesa nei confronti dell'ordinamento giuridico statuale, ed un problema di diritto canonico assai dibattuto da qualche anno a questa parte, quello relativo all'interpretazione del decreto del S. Ufficio, in data 1 luglio 1949 (A. A. S., 1949, p. 334) sul comunismo.

Richiamata brevemente la fattispecie, esporremo i limiti ed i motivi del nostro dissenso.

Rifacendosi al decreto del S. Ufficio citato, un Sacerdote ha escluso dalla Comunione una ragazza quindicenne, allontanandola pubblicamente dall'altare. La madre, qualche ora dopo, nello stato d'ira conseguente all'affronto subito dalla figlia, ha ingiuriato il Sacerdote. Chiamato a condannare la madre a termini dell'art. 594 C. P. I., il giudice ne ha dichiarato la non punibilità per il sussistere della provocazione, ravvisata nel fatto ingiusto del Sacerdote (art. 599 cpv. C. P. I.).

L'indagine del giudice aveva una direzione ben precisa. Infatti, essendo accertata, per riconoscimento della stessa imputata, la sussistenza del reato d'ingiuria, egli doveva stabilire se il comportamento del Sacerdote, nell'escludere la ragazza dal Sacramento, rivestisse gli estremi della provocazione.

La sua argomentazione si svolge attraverso diversi momenti logici:

1) Pregiudizialmente, il giudice ha posto la questione della propria competenza a sindacare la legittimità di un provvedimento posto da un ministro del culto cattolico in materia sacramentaria;

2) dichiarata la propria competenza, egli ha portato l'esame sul comportamento del Sacerdote in relazione al decreto del S. Ufficio; l'ha ritenuto ingiusto e, di conseguenza, vi ha ravvisato una provocazione oggettiva (art. 599 comma 2);

3) in abundantiam, ha ravvisato nel comportamento del Sacerdote almeno una provocazione putativa (art. 599 in relazione al 59 C. I. P.) in quanto, tenuto conto dei rapporti piuttosto tesi esistenti tra le parti in causa, l'imputata si sarebbe formato il convincimento di aver subito un fatto ingiurioso;

4) ha ritenuto che tra provocazione e reazione, pur separate, nel tempo, di qualche ora, sussistesse quell'immediatezza che è richiesta dalla legge come condizione per la rilevanza della provocazione (art. 599 comma 2).

L'impostazione logica della sentenza è ineccepibile; non altrettanto le singole conclusioni raggiunte. Sulla conclusione finale — dichiarazione di non punibilità dell'imputata — non possiamo pronunciarci per l'insufficienza degli elementi risultanti dal testo della sentenza. Limitiamo pertanto la nostra critica ai punti di dissenso.

I. *L'autonomia della Chiesa in materia sacramentaria.*

Tutto quanto riguarda l'amministrazione dei Sacramenti, in particolare l'ammissione e l'esclusione, rientra senza dubbio nell'ambito dell'autonomia della Chiesa, cioè in quella parte della materia ecclesiastica che lo Stato ritiene di competenza della Chiesa. E' stato esattamente escluso che i fedeli possano vantare, nell'ordinamento italiano, un diritto alla recezione dei Sacramenti (Jemolo, Esiste un diritto dei fedeli al Sacramento?, in *Rivista di diritto pubblico*, 1915, II, p. 129 s. s.).

Seguendo la fattispecie suggerita dalla sentenza, sono configurabili due ipotesi:

a) il fedele, escluso dal Sacramento, si rivolge al giudice statuale per ottenere la dichiarazione d'illegittimità del provvedimento e la riparazione del torto subìto;

b) il Sacerdote, che ha negato al fedele il Sacramento, si rivolge al giudice per ottenere la riparazione dell'ingiuria patita in conseguenza del proprio comportamento.

Intanto è palese, nel primo caso, l'incompetenza del giudice statuale a decidere su un atto che rientra nella materia spirituale, come, viceversa, nel secondo caso, è acquistata la competenza a conoscere di un comportamento previsto dal C. P. I. come reato.

Il punto, che attende una soluzione, è se l'indagine preclusa al giudice in via principale (esame della legittimità del provvedimento ecclesiastico), gli sia, invece, consentita in via incidentale, quando cioè da essa venga a dipendere la decisione sulla controversia principale, di sua competenza (reato d'ingiuria).

La sentenza è stata per l'affermativa: « L'applicazione delle norme di un ordinamento giuridico diverso spetta indubbiamente alle persone, che, secondo quell'ordinamento giuridico, ne sono investite, e nell'ambito di quell'ordinamento il loro operato non può

venire in alcun modo sindacato; ma quando un provvedimento adottato in tale ambito può incidere nell'ordinamento giuridico italiano, e vi incide in quanto viene invocato come esimente da pena se ingiusto, allora il giudice italiano può indubbiamente accertare la corrispondenza tra il provvedimento stesso e la legge di quell'ordinamento al fine di accertare se l'esimente sussiste o meno. Egli non può esimersi da tale esame solo perchè il provvedimento non appartiene al nostro ordinamento giuridico, perchè ciò non esclude che esso possa di fatto essere ingiusto ed arbitrario e perciò far sussistere quella esimente che viene invocata » (p. 133).

La soluzione è, per lo meno, affrettata. L'incidenza di un provvedimento ecclesiastico nell'ordinamento statuale giustifica senz'altro un esame da parte del giudice: ma quali sono i limiti di tale esame? Se il giudice accerta che il provvedimento rientra nella materia sottoposta alla libera attività della Chiesa, potrà, ciononostante, spingere più oltre la sua indagine fino a decidere della legittimità del provvedimento?

A queste domande la sentenza non dà risposta, evitando, perciò, di affrontare il punto focale della questione, quello, cioè, dei limiti dell'esame consentito al giudice. Si tratta di vedere se le ragioni, che sottraggono in modo assoluto ai Tribunali statuali la competenza diretta in materia spirituale, conservino lo stesso valore, anche quando l'attività spirituale della Chiesa divenga rilevante nell'ordinamento italiano.

La sentenza sembra non distinguere la posizione della Chiesa (la sua autonomia) dalla posizione degli ordinamenti stranieri di fronte allo Stato italiano.

Gli ordinamenti originari territoriali costituiscono una pluralità anche in senso fisico: ciascuno è al di fuori dell'altro, non solo giuridicamente, ma anche materialmente, perchè ciascuno ha il suo soggetto ed il suo territorio. Lo Stato italiano è mosso a riconoscere la regolamentazione compiuta dagli altri Stati, non perchè si ritenga incompetente a porre una propria regolamentazione (si tratta pur sempre di rapporti analoghi a quelli da esso regolati), ma solo perchè riconosce al di fuori di sè un altro ordinamento territoriale.

Chiesa e Stato, invece, costituiscono una pluralità esclusivamente in senso giuridico, perchè i loro soggetti sono fisicamente gli stessi, ed il territorio, in quanto oggetto di sovranità propriamente detta, appartiene esclusivamente allo Stato. Lo Stato è mosso a riconoscere la regolamentazione compiuta dalla Chiesa in considerazione della speciale natura della materia che ne è oggetto. Si

tratta di rapporti intimamente connessi alla manifestazione del sentimento religioso, essenzialmente spirituali: lo Stato si ritiene incompetente a regolarli.

Questa concezione dell'incompetentismo statuale è sempre stata a base del sistema dei rapporti fra Stato italiano e Chiesa Cattolica, anche prima degli Accordi Lateranensi (si pensi soltanto all'art. 17 Legge 13 maggio 1871 n. 214).

All'origine dell'autonomia della Chiesa sta dunque la dichiarata incompetenza dello Stato a porre la regolamentazione astratta e concreta di talune materie: di esse lo Stato presuppone la regolamentazione astratta e concreta posta dalla Chiesa.

Se il fenomeno è stato esattamente interpretato, ne deriva logicamente, per il giudice statuale, la preclusione ad esaminare la legittimità dei rapporti sorti nell'ambito dell'autonomia della Chiesa. Se tale esame gli fosse consentito, egli, in realtà, non accetterebbe la regolamentazione concreta, posta nell'ordinamento canonico, ma confronterebbe la regolamentazione canonica concreta con quella a cui le norme canoniche avrebbero dovuto condurre: in definitiva, sostituirebbe alla regolamentazione canonica, presupposta dall'ordinamento italiano, una regolamentazione statuale indipendente.

Pertanto, in presenza di un provvedimento ecclesiastico, il giudice deve preliminarmente porsi un problema di competenza. Qualora giunga a constatare che il provvedimento rientra nell'ambito dell'autonomia della Chiesa, ogni ulteriore ricerca gli è preclusa. Per lo Stato unica regolamentazione valida, in materia, è quella posta dalla Chiesa, e quella regolamentazione è, per lo Stato, accompagnata da una presunzione assoluta di legittimità.

Distinguere tra indagine in via principale e indagine in via secondaria è illusorio, perchè oggetto dell'indagine è pur sempre un fatto sottratto, per riconoscimento dello Stato stesso, alla competenza del giudice statuale.

Nel procedimento giudiziale, di cui ci occupiamo, questo, almeno, doveva essere chiaro al giudice: ch'egli non poteva ritenere ingiusto il provvedimento ecclesiastico: doveva limitarsi a constatarlo, a presupporlo.

Di conseguenza, non poteva ravvisare nel fatto del Sacerdote una provocazione.

Cadono, così, le conclusioni stabilite dal giudice nel primo e nel secondo momento logico del suo ragionamento.

Peraltro, la nostra indagine non può ancora dirsi conclusa.

Il giudice aveva davanti a sè un fatto che non poteva dire

giusto o ingiusto; ma un fatto gli era pur sempre noto, un fatto storico, che egli vedeva nel momento e nel modo del suo accadimento, collocava nell'ambiente, riconnetteva ai precedenti ed alle conseguenze. Gli constava che il fatto era stato la causa d'un comportamento oggettivamente illecito nell'ordinamento statuale, del quale egli doveva dare un giudizio, che tenesse conto anche di elementi soggettivi, cioè dello stato d'animo di chi l'aveva commesso. Cercando di ricostruire il processo interiore che ha portato al delitto, egli doveva chiarire a se stesso in qual modo, sotto quale luce l'imputata avesse visto il provvedimento ecclesiastico; poteva, doveva stabilire se sussistessero delle attenuanti; poteva, doveva stabilire se, in concreto, il comportamento del Sacerdote, che, a lui giudice, risultava legittimo, fosse stato soggettivamente ingiusto, realizzasse, cioè, la figura della provocazione putativa (art. 59 cpv. C. P. I.).

Perlanto riteniamo giustificata l'indagine compiuta dal giudice nel terzo momento del suo procedimento logico. Quanto alla conclusione, cui è giunto, le circostanze accennate dalla sentenza dovevano essere meglio valutate in relazione alla condotta della ragazza ed al modo con cui avvenne la sua esclusione dalla Comunione.

II. *Interpretazione del decreto del S. Ufficio.*

L'interpretazione che del decreto è data dalla sentenza è semplicemente aberrante.

Partendo dalla premessa che il S. Ufficio ha dichiarato doversi escludere dai Sacramenti i fedeli, che si iscrivono al partito comunista, ne diffondono le pubblicazioni ecc. « scienter », cioè non solo « con la consapevolezza che riguarda la distinzione fra ciò che è bene e ciò che è male », ma « con la coscienza piena di un'idea come quella marxista, del suo contenuto e dei suoi fini » (p. 134), se ne deduce che « si può e si deve generalizzare e concludere che solo un uomo nella sua maturità intellettuale può venire ritenuto consapevole e non certo una bambina di 15 anni ».

Dunque praesumptio juris et de jure di incapacità ad intendere, prima dei 15 anni, che cosa significhi materialismo! La conclusione è sbalorditiva e, per di più, è tutt'altro che pertinente al nostro caso.

Val la pena di riportare il decreto per mostrare come spesso confusioni ed errori nascono dalla mancata od affrettata lettura dei testi legislativi.

Ai dubbi: « 1) Utrum licitum sit partibus communistarum

nomen dare vel eisdem favorem praestare: 2) Utrum licitum sit edere, propagare vel legere libros, periodica, diaria vel folia, quae doctrinae vel actioni communistarum patrocinantur, vel in eis scribere; 3) Utrum christifideles, qui actus de quibus in nn. 1 et 2 scienter et libere posuerint, ad Sacramenta admitti possint; 4) Utrum christifideles, qui communistarum doctrinam materialisticam et antichristianam profitentur, et in primis qui eam defendunt vel propugnat, ipso facto, tamquam apostatae a fide catholica, incurrant in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam », il S. Ufficio ha risposto: « ad 1. Negative: communismus enim est materialisticus et antichristianus; communistarum autem duces, etsi verbis quandoque profitentur se Religionem non oppugnare, re tamen, sive doctrina sive actione, Deo veraeque Religioni et Ecclesiae Christi sese infensos esse ostendunt; — ad 2. Negative: prohibentur enim ipso jure — ad 3. Negative: secundum principia de Sacramentis denegandis iis qui non sunt dispositi; — ad 4. Affirmative ».

Il S. Ufficio non ha detto nulla che già non fosse contenuto nel C. J. C. o insegnato dalla morale cattolica: ne ha solo fatto un'applicazione concreta ed autentica al comunismo. Ha fatto due affermazioni:

a) che, essendo il comunismo materialista ed anticristiano, ogni cooperazione formale, posta cioè « scienter et libere », (iscrizione, favoreggiamento, pubblicazione, lettura e collaborazione a libri, periodici comunisti o paracomunisti) è moralmente cattiva (nn. 1, 2, 3);

b) che coloro i quali professano, difendono, propugnano la dottrina materialista ed anticristiana, che è alla base del comunismo, sono per ciò stesso, apostati dalla fede cattolica (n. 4).

La cooperazione formale è peccato grave; chi la compie può essere escluso dal Sacramento, secondo i soliti principi della morale e del diritto canonico. L'apostasia è, oltre che peccato, delitto (can. 2314), che comporta, come pena, la scomunica speciali modo riservata alla S. Sede.

Chiunque abbia chiare in mente le due ipotesi previste avverte facilmente che il « scienter », su cui fà leva la sentenza, non ha nulla a che vedere con « la coscienza piena di un'idea come quella marxista », bensì esprime il concetto che la cooperazione, per essere peccaminosa, dev'esser posta con la « consapevolezza, che riguarda la distinzione tra ciò che è bene e ciò che è male », precisamente con la consapevolezza che compiere le azioni ricordate

nel decreto è peccato: esattamente il rovescio di quanto è ritenuto nella sentenza!

Non è richiesta l'adesione e nemmeno la conoscenza delle idee materialistiche, propugnate dal comunismo: basta la conoscenza che la cooperazione al partito comunista è male.

Ora l'applicazione dei principi generali del bene e del male alle singole azioni ed alle concrete manifestazioni di vita avviene diversamente secondo l'età e la capacità del soggetto. Può essere la conclusione di un ragionamento personale o il risultato di un proprio intimo convincimento, di un'istintiva ripugnanza, del l'ambiente ecc.

Per i bambini può essere ed è, anzi, di solito, oltre l'innato senso del bene e del male, che è nel cuore dell'uomo, l'autorità di persone ritenute degne di fede. E' male ciò che i genitori, il maestro, il Parroco chiamano male.

